




B. 402.







VITA,
VIRI PERILLUSTRIS, AC
FACTI SUMMI

HENRICI
DE COCCEJI.

In qua,

FATA ET MERITA EJUSDEM,
SUCCINCTE ENARRANTUR, POTIO-
RES CONTROVERSIAE, ORDINE
RECENSENTUR,

Ac

SINGULA, QUÆ EXTANT SCRIPTA,
EXACTE ENUMERANTUR.

EDITIO ALTERA, REVISA ET AUCTA.

LEMGOVIÆ,

Typis & Impensis HENR. WILH. MEYERI, Aul. Lipp. Typogr.

Anno MDCCXXII.

In Divi COCCEJI effigiem.

Quem te Brema satum, post Lugdunum imbuit arte,
Cui Brito Doctoris digna brabea dedit.

Cujus ab ore vetus, primum Heidelberga pependit

Quem dein Trajectum, quem Viadrina stupet.

Juris Consulti dudum super æthera noti

COCCEJI hac tabula, sistitur effigies.

Ingenii summi, si forte requiris acumen?

Ingenium produunt tot monumenta viri.



f.

M. J. B. E.

DIVI COCCEJI
HÆREDIBUS SPLENDIDISSIMIS,
VIRIS PERILLUSTRIBUS
ATQUE EXCELLENTISSIMIS;

DOMINO
DN. JOHANNI
GOTHOFREDO
DE COCCEJI,

AUGUSTISSIMI PRUSSORUM REGIS
INTIMO RERUM BELLICARUM AC REGIMINIS
DUCATUS MAGDEBURGICI
CONSILIARIO.

ET

Et
DOMINO
DN. SAMUELI
DE COCCEJI,

EIDEM POTENTISSIMO REGI, A SE-
CRETIORIBUS SAGI TOGÆQUE CONSILII, SUPRE-
MI APPELLATIONUM TRIBUNALIS, QUOD BEROLINI
EST, ASSESSORI,

Et
DICASTERII PRINCIPATUS HALBER-
STADIENSIS DIRECTORI.

DOMINIS AC PATRONIS SUIIS
BENIGNISSIMIS



VIRI PERILLUSTRES

Ac

EXCELLENTISSIMI,



uodsi ambizioso illo edicto, Alexander nec pingi à quoquam, nisi ab Apelle, nec ære duci, nisi à Lyfippo vellet, aut Romanorum instituto, laudibus ferri Augustum Cæsarem

) 3

non

DEDICATIO.

non nisi à disertissimis liceret, temere sane ego, hos scribendi conatus, in me suscepissem! Patrem quippe in isto credo Heroum, virorumque illustrium rationem esse; per illos enim summus rerum Arbiter imperia, per hos fortunam ac fata temporum terrarum Principes præcipue dispensant. Dum ergo, de *Perillustri & Excellentissimi* PARENTIS *vestri*, Patroni ac Præceptoris mei, dum viveret, maximi laudibus ac meritis conscribere nonnulla aggressus sum, temeritatis audaciæque notam, me non effugere lubens fateor. Utcunque vero deficere materiæ ornatum, stylumque infra dignitatem argumenti procumbere, primus ipse sentiebam, attamen vicit illa reverentiæ ac pietatis ratio erga VIRI SUMMI manes, vicit me innumerorum ejus beneficiorum magnitudo, vicit denique tantarum virtutum, quas nullum unquam tempus oblitterabit, recordatio. Meritum certe illius tantum est, ut taceri nullo tempore possit, tanta vero & humanitas vestra est, *Excellentissimi*
Do-

DEDICATIO.

Domini, ut famam & magnitudinem DIVI PARENTIS, tum & VESTRAM, tenui quantumvis & inornato ingenii foetu obsolescere non putetis. Nil equidem, nisi omnibus numeris absolutum, *Vobis* VIRI PERILLUSTRES à me offerendum fuisset, valdeque vereor, ne *Vestras* Regi, publicoque patriæ bono dicatas occupationes, exiguis hifce pagellis interrumpam. Ignoscetis tamen spero importuniori forsan pietati meæ, quæ ante quiescere non potuit, quam apud *Vos* profiteretur, quantum me *Vobis* debere existimem. Patiamini igitur, *Mecenates summi*, ut *Beatissimi* PARENTIS *Vestri* Fata ac Merita per Univerfum terrarum orbem decantatissima *inclytis Nominibus Vestris* consecrem, simulque hanc grati erga Vos animi, submissæque venerationis professionem, piis votis pro *Vestra* incolumitate ac felicitate subsignem, qui nunquam cessabo, DEUM submissis precibus rogare, ut Vos Augustissimo Regi, Regno,
Pa-

DEDICATIO.

Patriæ, literis, bonisque omnibus diu servet incolumes, omnique eorum bonorum genere perfundat, quibus humana creditur consummari felicitas. *Valete Perillustres ac Excellentissimi Domini* atque favete

VOBIS

*Submissa pietate &
obsequio, æternum
devoto,*

A. H. L.



LECTORI AUCTOR SALUTEM.



Non defuerunt hucusque, qui memoriam viro-
rum, & armis, & literis inclytorum posteritati
laudabili modo conservarunt. Idemque nec
mihi vitio vertetur, quod Jcti Summi & vel so-
lo nomine magni & laudati nuper è vivis
crepti, Perillustris ac Excellentissimi Domini
HENRICI de COCCEJI, *Augustissimi Prussorum Regis Consi-
liarii intimi, Academia Viadrinae Ordinarii Senioris, ac Antecesso-
ris primarii per Europam celeberrimi*, prima vitæ lineamenta pub-
licæ luci exponam. De quo *summo viro*, cujus recordatio in
omnium animis est, supereritque quoad literarum monu-
menta persistent, suo Jure ea prædicare possumus, quæ Cœlius
Rhodiginus de eruditis suis Jure-Consultis memoriæ prodidit:
*Ejus anima erat Dei cultus, at spiritus Romanae & Patriæ legis cura,
eius voluntas recta, manus recta voluntatis effectus, totum æqui-
tas & gravitas; Quin pauca scribere contra venerationem, es-
set tanti nominis, neque scribere, quod decet, in nostra est fa-
cultate, quum pauci sint, qui mediam senis hujus ætatem, ne-
mo nobiscum, qui Juventutem recordetur. Quantacunque
autem sunt, quæ ex multis magnisque rebus comperta habe-
mus, tanta tamen omnino sunt, ut perpetuitatem famæ &
memoriæ mereantur. Ideoque, quæ rescire potuimus de
Viro Beatissimo, præscribimus legenda & meditanda, ut intel-
ligat quisque, quantus & quam excellens fuerit, qui excessit,*

a

&



& quantas virtutes dotesque secum, relinquens terram, ex oculis nostris abstulerit.

Quo honorum meritorumque curriculo, non Prussico tantum Regno, quod univrsum meritis suis plurimis ac nobilissimis modis sibi obstrinxit, consuluit, sed præter Germaniam eos inprimis, qui literarum amore ducuntur, obligavit sibi mirifice. Quorum quidem inusitatorum ejus in publicam rem meritorum memoria, ut nunquam ex hominum animis excidet, ita par est, ferri eam ubique celebrantium linguis tradi posteris, operaque danda est, ut non modo Germania, sed eruditus orbis passim *Papiniani Nostri* laudibus assurgat.

Occupavi in præsens has Justissimæ pietatis officiique partes elaborato hocce, quod humanissimæ tuæ, *Lector*, subjicio censuræ, vitæ curriculo, non ignarus, pleraque *Summi COCCEJI* Fata meritaque in scripto illo Germanico idiomate exarato, titulo *Ehren-Tempel* insignito, jamjam reperiri. Attamen *Magni Viri* vitam omnem à cunis usque exorsus latino sermone congerere periculum facere volui, inprimis, cum multa digna memoratu adhuc supersint, quæ Justissima ratione adjici mereantur, plurimique de *senis nostri longe meritisimi* memoria edocti maximo ardeant desiderio, quorum laudabili cupidini de esse nolui. Filium igitur & ordinem memorati scripti secutus, mihi, cum interea non pauca occurrerent, quæ propositi argumenti rationem non parum illustrarent, visum proinde fuit tractatum huncce sub incudem revocare, & ut dies posterior prioris magister est, novæ huic editione nonnulla à Patronis atque amicis communicata addere, nonnulla interpolare, aut etiam passim mutare. Tu *Lector Candide*, si quædam minus apposite, vel dicta, vel allegata invenies, Juventuti, utpote, quæ facile ob lubricum labi potuit, id tribuas. Vale. D. d. ix. Mart. Anno MDCCXXII. NO.



NOBILISSIMO AC CONSULTISSIMO
AUTORI,

Fautori & amico suo valde colendo,
S. D. P.

FRIDERICUS HERMANNUS CRAMER, J. C.

Virorum illustrium ut res laudabiliter gesta & plæclarissima factorum monu-
menta æternitati consecrentur, ipsa loquitur æquitas. Hos inter, non ulti-
mum sed primum occupat locum *Vir Perillustris & Excellentissimus, jam Beatissimus*
DN. HENRICUS de COCCEJI, f. Crus incomparabilis, Regia Maj. Boruss.
Consiliarius intimus, & Universitatis Viadrina Antecessor primarius longeque celeberrimus,
cujus virtus & doctrina ingens, nunquam apud omnes Gentes intermoriatur, quam-
diu virtuti & eruditioni suis constabit honor. Merita hujus Viri tam sunt illustra,
tam celebrata, ut Gloria hujus & præteriti seculi dici Jure debeat. Quando autem
Vir Nobilissime, vitam Magni COCCEJI, ejus natale solum, ingenium felicissimum,
studia incomparabilia, virtutes egregias, promotiones eminentissimas, conjugium
felicissimum & complura alia in publicum profers, laus sane tibi debetur præcipua.
Postulat nostræ lex amicitiae, postulat maxima, qua maximum ego prosequor Juris
antistitem, pietas & devotio, ut hunc tuum tractatum elegantissimum, quo jam
tum nominis tui celebritatem provocasti, epistola gratulatoria concomiter. Fuit
enim Magnus de COCCEJI meus, fuit tuus, fuit Noster, fuit, ut vere dixerim, to-
tius Germaniæ præceptor ac Coryphæus. Et ne cui id arrogans videatur, testimo-
nium hujus rei assero ex literis, quas *Illustriss. Liber Baro de FUCHS,* Augustissimi
Potentissimique Prussorum Regis quondam Status Minister intimus anno 1696. ad
Celeberrimum *Gravium* exaravit, quando ita incedit: Cæterum est aliquid, quod
me sollicitum habet, & de quo Judicium ac Consilium exquirere tuum animus est.
Nosti filium meum jam fere per biennium hæere Ultrajecti, ad quod sane nihil
aliud me impulit, quam ut ex ore penderet tuo, Tibique totum se traderet, cujus
facti nunquam me poenitebit, & minus illum, uti spero. Sed tempus est, ut ad
conficiendum studiorum suorum cursum in castra Jurisperitorum transeat, non
quidem vulgarium istorum seu rabularum, qui everfores potius, quam Consultum
Juris dici merentur: Sed illorum, qui divini humanique Juris scientes, quid Justum,
quid æquum, quid Gentibus Universis, quid huic aut illi Reipublicæ expediat,

uno verbo, qui artem ac facultatem recte vivendi in Societate civili tradunt ac ex-
 plicant, sine qua non Regna, non urbes, non denique vita hominum stare potest.
 Horum vero perpaucos hodie reperiri ipse mecum fateberis. Nec minus fortasse
 senties inter illos, qui sunt, non infimum sed primum locum occupare COCCE-
 JUM nostrum, quem ego Coryphæum Jctorum modernorum appellare minime
 vereor. Sub hujus disciplinam tradere filium, antequam ad exteras Gentes ac
 oras ablegetur, & quidem per annum animus est, nisi Tu aliter sentias. Quare
 rogo te ac obtestor pro Jure amicitiae, quo te mihi obstringere voluisti, velis mihi
 aperire mentem tuam, an ex re filii mei esse Judices adire Dominum COCCE-
 JUM, & ejus opera uti, non tam in addiscendo Jure privato, quamvis nec id ne-
 gligi debeat, quam Jure Naturæ & Gentium, tum & publico, quod vocant Impe-
 rii nostri, aut num alium nostri decentem, cui melius tradi possit? Quæ omnia
 egregie confirmant responsoria doctissimi *Gravii* ita loquentis: Nobilissimum fi-
 lium tuum, spero non male collocasse tempus apud nos, & nunc ad decurrendum
 spatium Academicum & ad imbibendam, illam divini humanique juris sapientiam,
 quæ non unius Gentis & nationis leges & constitutiones, sed totius humanæ so-
 cietatis Jura complectitur, nullius fidei disciplinæque rectius committi posse puto,
 quam Viri summi COCCEJI, qui unus in hoc studiorum genere, quod ille ait, sa-
 pit, cum cæteri volitent tanquam umbræ. Egi quoque de hoc negotio cum tuo
 filio, qui se cupidissimum doctrinæ COCCEJANÆ esse ostendit, alieniorem ta-
 men esse video à loco, in quo jam ante aliquot exegerat annos. Mallet Regio-
 monti, quicquid conficiendum restat, emetiri ante iter ad exteros, quam ad ripas
 Viadri. Nec ego ab ejus sententia discreparem, si ibi esset COCCEJUS, aut
 COCCEJO si non par & æqualis, non longe tamen inferior. Sed, qui has partes
 sic implere possit, quique intelligentior sit juris Naturæ, Gentium & Publici Ger-
 manici neminem novi, & vix unquam posse reperiri pervalissimum. Uti vero
Noster Justitiæ erat amantissimus, ejusque vindex & sacerdos constantissimus, ita
 jura solidissime inculcabat, & Jurisprudentiam in serie docebat. Antequam ipsum
 juris cursum in suis collegiis inchoaret, præliminariter monstrabat, fata Reipu-
 blicæ à Justitia duntaxat dependere. Neque Deum, cujus voluntatem Justitia refert,
 patri florentem posse Rempublicam absque Justitia. Hujus neglectum, ab omni memo-
 ria vetustatisque ævo, unicam fuisse causam eversi Status, & in eo boni publici
 Civitatum ac Regnorum. Hoc ipso, non posse non Summum Legislatorem offen-
 di gravissime, atque in vindictam exardescere, cum Deus juris & voluntatis suæ vind-
 dex sit acerrimus, nec per ipsam sanctitatem suam aliter velle possit. Imo homi-
 nem solo Justitiæ contemtu deficere à se ipso & à sua natura, quam utpote divi-
 nam & à divina origine Deo & Autori suo rebellem faceret. Inde pro regula ha-
 bebatur: Justos certam & perpetuam sequi hujus & futuræ vitæ felicitatem; inju-
 stos certum & perpetuum malum, æternumque exitium. Primo *Jus Naturæ* immo-
 tum ad duæum *Hug. Gratii* de Jure Belli ac Pacis explicabat. Dum autem ipsum
 Gro-

Grotii principium scil. custodiam societatis, humano intellectui convenientem firmum haud judicabat, positiones suas generalissimas pro explicatione istius Juris æterni præmittebat. In his fundamenti loco collocabat: Homines à Natura i. e. Deo instructos esse potentiis agendi. Veritatem hujus asserti ex facultatibus cum corporis, tum animæ ostendebat facile. Hinc inferebat: Homines potentiis agendi à Natura instructos licite omnia agere, vel omittere, donec appareat prohibitio, facta ab eo, qui jus prohibendi habet. Hunc, solum esse Creatorem aiebat. Proinde principium leges dandi actionibus hominum, horumque naturales cohibendi, potentias in solo ponebat Creatore sanctissimo & perfectissimo. Ex facultate illa naturali agendi nondum restricta fuit jus permissivum: Ex prohibitione ejus, qui jure prohibere, & limites isti facultati à Natura concessæ, ponere potest jus præceptivum. Voluntatem prohibendi, demonstrabat non ex societate ejusque custodia, non benevolentia, non mutuo metu, non felicitate, non amore, sed ex æterno creationis opere constanti & perpetuo, ad quod jam ante Divus Apostolus Paulus *ad Rom. I.* provocavit. In hoc, adhibitis communibus voluntatem declarandi modis actio reperitur, ejus finis, media, natura, qualitates & circumstantiæ. Firmato principio unico, vero & adæquato docebat Jura, quæ toti hominum societati competunt in hanc terram, ejusque res: Quæ cuique homini seorsim in suas actiones earumque commoda & utilitates: quæ circa culturam corporis vitæ ac membrorum defensionem: quæ sint Jura societatis publicæ seu communis inter omnes homines: quæ privatæ seu domesticæ inter maritum & uxorem, cæteraque familiæ membra. Positis finibus facultatis illius legitimæ à natura mortalibus concessæ, firmabat res in generalem omnium dispositionum, contractuum ac negotiorum humanorum. *Prout quisque* (de re sua, h. e. intra prædictos fines à Deo constitutos) *disponit, ita Jus est.* Ultra illos neminem, vel quicumque Jure, sed plus suo habere, ex quo obligatio nascitur ad reparandum vel in natura, vel per tantundem. Tolli illam facultatem disponendi morte, & res jure hoc cedere occupanti, nec testamenta, ita esse cognita, in defectum autem Juris occupandi à Natura surrogari successionem liberorum in bona à parentibus præmortuis relicta. Delicta & pœnas consistere in Jurium privatione, causa solum differre. In delictis privationem fieri injuste ab eo, qui Jus privandi non habet: in pœnis juste à Judice, cui tale Jus concessum ad emendandos homines. Progrediebatur *Beatus Noster* ad Jus Naturæ Publicum de summa potestate, eamque necessariam in terra asserere, utpote sine ea nulla esset necessitas parendi voluntati divinæ: nulla in invitos & contumaces executio: nulla inter homines pax & securitas. Jus hujus potestatis in proprium territorium ejusque cives, vocabat Imperium, in extraneos bellum. Inde Jura Majestatis Dei vicariæ Regnorum, Rerum publicarum, Principatuum ac Imperantium non solum egregie exponebat, sed & bellorum, ut sunt jura occidendi, vastandi, prædandi, commerciorum, pacatorum, neutralium, Legatorum, Guarandorum, Mediatorum, obsidum, pacis, iudiciarum, fœ-

derum, repressalium aliaque late deducebat, postremo Juris & virtutis differentiam accuratissime inculcans. Fontes Juris Naturæ eo penitus aperiebat, quo eo solidius suis Auditoribus ostenderet, quid Dei Jus sit hominibus præscriptum. Et quousque utilitate & necessitate suadente humani Legislatores inde quoad jus concessivum recesserint?

Pergebat ad explicationem *Juris Romanorum civilis*, demonstrans, id ex præceptis naturalibus Gentium & civilibus pro conditione incolarum civitatis Romanæ collectum esse. Duas esse vias, quibus Jus addisci possit, statuebat, primo, *vulgarem*, qua incipimus Jus generaliter, & ut ita loquar, historice tractare, examinando vel respondendo ad hanc, vel illam quæstionem, vel casum forte obvium. Methodum istam omnium inutilissimam appellabat, dum veris & cohærentibus haud nititur principiis, talique incedentes via semper sunt incerti. Si vel minima circumstantia in alio novoque casu, vel quæstione occurrit, cessat omnis peritia Juris. Quæ laus, quæ gloria, scire opinionem unius, vel duorum hominum, unius casus, vel quæstionis resolutionem. Talia scire, non est scire scientiam Juris, sed scire in summa rei nihil. Quales Jurisperiti & formularum domitores intra fines Jurisprudentiæ formulariæ & Schlendrianæ coercendi. Secundo *solidam*, qua non solum legendo nonnullas regulas, definitiones, divisiones, sed etiam cujusque negotii requirita essentialia inquirimus, consequenter meditando ac ratiocinando quæstiones occurrentes difficilimas accurate decidere possumus. Quo ipso causæ status ad Lydium lapidem, omniaque dubia ad sua principia certa & finita reducuntur. Et hanc viam omnium facillimam, promptissimam & utilissimam nominabat, commendabatque sæpius. Nam & Jura docebat solide in limitibus certorum principiorum, ita ut unum ex alio deduci & in aliud iterum resolvi possit. Addebat ornatus gratia multas rationes validissimas. Movebat dubia, eaque ut & LL. obstantes resolvebat eruditissime. Jus Romanum valere in Germania, ut Jus scriptum Imperii contra multos DD. acriter propugnabat, ut Jus certum habeamus. Sententiam illorum Jus Romanum non valere, nisi ejus probetur receptio, nunquam ferre poterat, quippe jus dubium incertumque involvens. Et quomodo extra Imperii constitutiones, quæ receptionem Juris Romani in genere docent, in foris Germaniæ diversa sententia probabitur? An præjudiciis forensibus? Atqui præjudicia reclamant præjudiciis, etsi sint unius fori, vel casus. An auctoritate excellentis Doctoris? At, quot DD. tot opiniones. An æquitatis ratione, quam mens sana insinuat? Heus bone Deus! quam incertum inde sequetur Jus, cum æquitas unius, alteri videatur summa iniquitas. Certo quamdiu *Nostri Triboniani* principia sequimur, & putamus: Jus Romanum tamdiu in Germania valere, ut Jus scriptum, donec probetur, hanc, vel illam legem, seu hunc vel illum titulum non posse applicari ad fora Germaniæ, habemus Jus certum indubitatum, praxinque finibus suis inclusam. Quamprimum credimus, Jus Romanum neque in totum neque pro parte valere, nisi ejus receptio doceatur uniuscujusque legis, quæ alle-


gatur, receptio præjudicialiter probanda, atque ita nihil ipsa praxi est incertius, nihil ea latius.

Succedebat enucleatio *Juris publici Germanici*, quod *magnus Noster de Cocceji* peculiari prorsus methodo omnium primus tradidit. Non fecutus est veteres DD. qui ex Jure Romano ad ductum Institutionum gloriosissimi Imperatoris Justiniani Jus publicum deducere alloborant. Cum primum prudentiam Juris publici anno 1695. evulgaret *Noster*, putabant nonnulli, Historiam VII. populorum Germaniæ inutiliter esse constructam. Sed isti DD. plebeji rem non capiebant, Contrarium docebat & *Beatus* & alii viri celebratissimi, qui methodum Coccejanam laudabant publice, tantique Viri vestigia premebant. Ratio ipsa rem ita insinuat. In Jure privato fieri ejus applicatio nequit, nisi vera facti species cum omnibus circumstantiis ad Judicium deferatur à partibus. Idem contingit in Jure publico Regni Francorum, ubi circa Imperatoris vel Statuum Jura nihil solide determinabitur, nisi de facto, quod veteris Germaniæ historia suppeditat, clarissime constet. Ut monstraret *Divus noster* Imperium nostrum recte dici Francicum, auctoritate Romanorum, Græcorum, Poëtarum, Panegyricorum, ipsorum Gallorum aliisque monumentis illustribus probabat, Francos, Galliæ victores, esse Germanos. Ii Franci fortissimi ac bellicosi, dum Germania antiquissimis temporibus in plures populos, terras suas absolute regentes divisa fuit, hos particulares Status Regno Orientalis Franciæ univerunt, eique pariter exteras Provincias gloriose adjecerunt. Francia principalis erat Provincia, sedes Regni & matrix Imperii Germanici, Cui intra Germaniæ limites acquisita est terra Rhenensis, Bojoaria, Suevia, utraque Saxonia & terræ Slavicæ: extra eos Gallia, totum Illyricum & Hungaria, Borussia & Livonia, Italia & Imperium Occidentale. Formula subjectionis fuit, ut terræ sint vel mediatae, vel immediatae, vel sub lege quadam tributæ. Sine accurata cognitione historiæ veteris Francorum Regni nescimus, an Germaniæ antiquæ fines hodie durent, vel mutati sint? Cur omnes Status sint intra fines Germaniæ, nisi probetur exemptio? Cur nulli sint Status extra fines Germaniæ, nisi probentur recepti? Cur Palatii Comes sit in terra Rhenensi? Cur iste absente Imperatore, vel Regno vacante sit Vicarius Imperii? Cur VI. Circuli & deinde plures enati sint? An Slavi Orientales ad hos Circulos pertineant? Cur terra & quæ sit mediata, vel immediata? Cur civitates Imperiales, Nobiles & Judicia Imperii saltem in terris sint immediatis? Cur Rex Bohemiæ antea non fuerit ut Status Imperii in Comitibus. Quà ratione ex ipsa structura Regni Germanici Electorum origo profluxerit? Quænam sint Archiofficiarum Secularium & Archi. Cancellariatuum Jura? & sic porro in multis aliis Juris publici quæstionibus. Similiter historiam de accessionibus & exemptionibus utilissimam censebat: Quod in eis fundatum sit Jus Imperii Germanici: Quod Imperator juret de iis reducendis: Quod circulis accurata inquisitio terrarum exemptarum, omniumque circumstantiarum sit injuncta: Quod executio Circulorum alio modo certa esse nequeat, Proinde *Beatus Dominus de Coc-*

ceji circa initium collegii ad Jus publicum inculcabat, in eo nihil certi solidique defini posse, nisi facti ex prædicta historia profluentis Jurisque ratio ab origine sua perspecta sit. Absolutis Regni Germanici terris earumque formulis, accessionibus & exemptionibus de electione & inauguratione Imperatoris Augusti ut capitis Imperii, inde de summis Regni officiis & Archi-Cancellariatibus, officiis Regni aulicis, Juribus Electoralibus eorumque prærogativa, augmento, illorum ut & cæterorum Statuum Jure, officiis, potestate ac ordine late diserebat, solideque commonstrabat; Carolingorum ævo omnem procerum potestatem fuisse administratoriam. Extincta autem Caroli M progenie Ordinibus Imperii restitutam esse potestatem, quam ante victorias Francorum habuere, affectas singulas Provincias sub Ducibus suis, salva Majestate Regis & Regni Jura regalia: Reliquos Principes post Henricum V, & proscriptionem Henrici Leonis, at Episcopos & Comites post interregnum sensim ea in univerfum acquisivisse. Ulterius enucleabat Jura Majestatis, & quæ ipsi assumulatur superioritatis territorialis tam circa sacra, quam secularia, circa regalia majora, vel minora, reservata Imperatoris, ut & Nobilium immediatorum Jura. Finitis publicis illustrium Juribus privata explicabat, qualia sunt pacta confraternitatis, Advocatiæ armatæ, Ganerbinatus & jus ex aliis fœderibus natum. Deducebat Jura masculorum illustrium, eorum succedendi rationem, primogenituræ, apanagii & paragii Jura; Progressum faciebat ad Jura foeminarum illustrium de dote, donatione propter nuptias, Morgengaba, & dotalitio, ut & quæ utrique sexui sunt communia. Sed hæc uberius ut & quali usus fuerit methodo circa doctrinam *Juris ecclesiastici, Feudalis, &c.* demonstrare angustia chartæ non patitur. Saltem ex dictis *Summi COCCEJI* stupenda & universalis eruditio, & quod in hac maximum est, *incomparabilis soliditas ac connexio vere Mathematica* luculentissime apparet.

Cum vero Tu, *Vir Consultissime*, vitam *Magni COCCEJI* historica commentatione eaque fatis docta illustrare volueris, laudem ab omnibus literarum fautoribus omnem, & adeo publicam mereris, nominisque tui famam hoc ipso schediasmate in fera tempora & dissita loca propagas. Nonnulla, ut vides, de *methodo Coccejana* addidi, ut generalissima hujus *Consummatissimi Viri* principia quasi in nucleo conspiciantur. Servet te *Deus*, fons omnis justitiæ, sanctitatis & scientiarum. Det meritis tuis insignibus & virtuti præstanti præmia condigna. Precor ex animo, ut sparta tibi commissa, aliis honoribus, laudum incrementis ac emolumentis mox augeatur. Vale cum tuis mihi amicissimis, & quod facis, fecistisque hætenus me indefinenter ama. Dabam Detmoldiæ d. XXIII: Decembr. MDCCXXI,

FATA



FATA & MERITA.
JCTI SUMMI
HENRICI de COCCEJI.

Virorum Illustrium virtutes, eorumque, qui ad exempla ^{Ingressus,} laudum atque æternitatem nominis geniti videntur, memoriam non tantum vivis illis coli, eosque quasi in os laudari, sed etiam post mortem digna veneratione celebrari fas est. Ut enim, non per unam tantum Gentem aut Provinciam diffusa eorum merita sunt, sed sparsa latissime atque per omnem meliorem orbem egregio exemplo divisa, patent; ita nec angustiore ambitu memoria, honosque eorundem circumscribendus, sed superstitum laudibus, ab oblivione modis omnibus vindicandus est. Habent enim hoc illustres generosæque animæ, ut dum aliis, quos ævi felicitas ad spectanda illorum dona reservat, prospicere & consulere videntur, in secula futura de rebus mortalium ac salute communi mereantur clarissime, præsertim, si literarum patrocinio, publicique ministerii honore conspicui sunt, quorum emolumentum decusve immortale est. Hinc publice interest, ubique operam dari, ne merita laude destituantur nomina ac exempla illustria, sed perpetuo vigeant, quorum meritis haud major reddi gratia potest, quam, si fama illorum ubique feratur, ipsique ad omnem memoriam hominum celebrantium laudibus transcribantur.

In præsens igitur occupamur laude & celebranda memoria ^{Laus de-} VIRI, dum viveret. ^{functi.} PERILLUSTRIS & EXCELLENTISSIMI, DOMINI HENRICI de COCCEJI, JCTI INCOMPARRABILIS, MAXIMORUM GERMANIÆ PRINCIPUM CONSILIARII INTIMI, TRIUM IN EUROPA INCLYTARUM ACADEMIARUM, IMO TOTIUS JURISPRUDENTIÆ SIDERIS & CORYPHÆI, cujus quidem existimatio per totum, qua patet, orbem major est, quam ut testimonio cujusquam indigeat, cujusque fama ubique divulgata à vastitate temporum

b

supe-

Fata & Merita.

superari nunquam potest, sed cujus vitæ purissimæ integritatem grata recordatione venerari, & virtutum honorumque summa capita (cuncta enim merita recensere, dignoque præconio prosequi vires excederet) attingere nobiscum constituimus. Enimvero quanta in universam non tantum *Germaniam*, sed omnem *Europæ* atque literariam rem *Summi* COCCEJI merita sint, neque latere, nisi expertem literarum, neque dissimulari, nisi ab iniquissimo quovis maximeque maligno potest. Quibus rebus, ut secunda illa *perillustris nominis sui fama* longe lateque diffusa, ex omnibus orbis partibus convocavit gratiæ, atque benevolentia suæ cupidissimos; ita summis terrarum Rectoribus maximisque Principibus mirifice fuit conciliatus.

Dies na-
talis.

Incidit autem tanti fideris exortus in turbulentissima Germaniæ tempora, cum diuturnum ac fatale illud bellum eandem ad exitium fere adflixisset. Annus agebatur seculi superioris decimi septimi quadragesimus quartus, cum in lucem ederetur *Beatus Noster*, tantorum liberorum parens, ipso annunciationis Beatae Mariæ Virginis die XXV. Martii, *Bremæ* primum amplissimo ac præclarissimo illo Veteris Saxoniae emporio, omni divitiarum genere pulcherrime exulto, ac sæcunditate ingeniorum, multarumque antiquitatum supellectili instructo, unde mox erupturus erat fulgor, qui Germaniam universam ac vicina Regna virtute, sapientiæque fama collustraret, atque amplissimis in religionem remque publicam meritis impleret. Et ut Græci olim magna in felicitatis parte ponebant Athenis natum esse, quod, cum ipsa loci amœnitate cœlique clementia elegantius quoddam, & capacius ingenium haurisæ putabantur, ita id ad laudem *Divi Nostri* præcipue pertinet, quod ea in urbe natus fuerit, quæ, cum reliquas ædificiorum elegantia & commerciorum frequentia antecellit, tum viris literatissimis, quibus & COCCEJI nomen accessisse, sibi quam maxime gratulatur, perperuo abundavit.

Adolescen-
tia.

Inerant statim à prima ætate, illa felicitis ingenii, atque optimæ indolis signa, ex quibus vulgo de futura ætate, vita ac virtutibus suorum, non sine tacita quadam voluptate conjecturam facere genitores solent. Non defuerant partibus suis optimi

pa-

parentes, tam præclaræ menti curam omnem & sollicitudinem adhibentes, qua erigi atque excoli generosiores animi solent, tantaque inter honestissimarum rerum præcepta, ad studia elegantiora flagrabat cupiditate, ut nimium ardorem aliquanto retinguere necesse esset, siquidem omnibus condiscipulis suis, qui in eodem studio cum *Nostris* decurrebant, ingenii celeritate palmam dubiam faciebat. Nam, cum à natura nactus esset ingenium docile, ut, quæ à Magistris tradebantur, celeriter arriperet, ac fideliter custodiret, dulcedine literarum captus, tanto opere bonarum artium studia amavit, ut nec ætatis illius illecebris, nec pravorum exemplis ab harum artium caritate divelli se pateretur. Gloriæ stimulis concitatus, prælucente Majorum exemplo, in adolescentia id sibi potissimum negotii datum esse existimabat, ut sua virtute augeter splendorem antiquæ Gentis, quæ cum diu in Belgio alibique nobilitate floruisse, tandem temporum factorumque iniquitate quodammodo obscurari cœperat. Neque laudabili COCCEJI conatui defuisse vires, eventus postea, nimium profecto manifeste docuit.

Amoris
studia.

Ludis inferioribus excedens, *Gymnasium illustre* urbis patriæ per aliquot annos frequentabat, studiisque humanioribus, sub præceptoribus, de efformanda juventute, quam optime meritis, assidua alacritate incumbebat, quibus per integrum tempus, quod in illustri hac schola perstitit, se ita probavit, ut de eo, licet juvene, adhuc sibi optima quæque pollicerentur, atque hanc de eo conceptam opinionem ubique contestarentur. Præterlapsus erat annus MDCLIV. fato liberæ Imperialis *Reipublicæ Bremensis*, quod turbis diuturnis posthæc originem dedit, alias satis nobilis, cum subsequenti tempore, anno MDCLXVI. ob juste assertam immedietatem & denegatum Duci homagium, urbs à Suecico exercitu, *Wrangelii* ductu, obsideretur, ac durante obsidione varie tentaretur; calamitosa illa, per caræ patriæ conditio, non minus *Beatum Nostrum*, quam rem ipsam familiarem, circa quam multa variaque damna in obsessâ urbe experiebatur, valde adfligebat, quam tamen fortunæ adversitatem, ea, qua par erat constantia, fortique animo, adeo pertulit, ut tandem anno sequenti MDCLXVII. cum annum ætatis XXII. implevisset,

Ad aliorum
progre-
diur.

Turbæ
Sueco-
Bremens.
ses.

Fata & Merita.

Lugdunum se
confert.

Philosophiæ stu-
dium.

Prima di-
sputatio.

inde magistros ac cœlum, non mores & studia mutare coactus, vicinum Belgium literis, armis, consiliis, fœderibus, fortuna tunc celebratissimum, & inprimis florentissimam Academiam Lugdunensem, ingentibus semper viris condecoratam, antiquæ sapientiæ ac doctrinæ propagatricem & æmulam adiret, ibique Jus Civile Romanum, cui totum se dederat, strenue profequeretur. Accedebat in commendationis superpondium, illa in omni doctrinarum genere eruditio, in stylo, linguis, Geographia, Historia, aliisque disciplinis egregii profectus, compositissima denique morum ad candorem, humanitatem, & gratam quandam elegantiam, ac suavitatem à natura factorum ratio, qua, in æquales humaniter, in superiores pie vivebat, in omnes modeste, eumque se ubique gerebat, qui errati nullius accusatus unquam, vel damnatus bonis omnibus extiterat gratissimus. Et si vero diuturni morbi violentia, non parum impedimenti institutis, cœptisque studiis injiceret, valetudine tamen reparata, Philosophiæ capita, Legum præceptis ceu Comitem jungens, à Doctoribus omni doctrinæ genere celebratissimis ibidem hausit. Per hæc quippe vestibula, ad Themidos interiora eundum esse ratus, dum sine hac doctrinæ parte mancus & lubricus vastissimus putatur Juris Oceanus. Philosophia enim Legibus tractandis maxime est necessaria, sine qua, studium sæpe juris vanum ac irritum existimatur. Illas, in Batavia & Anglia tam arcte conjunxit COCCEJUS, ut fundamentis rite jactis, alia quælibet facile superstrui possent, ac ita incertum existeret, jurisne, an Philosophiæ scientia curaque apud eum prævaleret? Hunc tramitem, quem ita calcandum sibi proposuerat, ducibus aggrediebatur famigeratissimis, quorum doctrinis, quæsitam eruditionem adeo prompte consequebatur, ut statim animadverterent omnes, talem eum futurum, qualem cognitum postea orbis judicavit, quippe inclytæ Academiæ Lugduno Batavæ perpetui pignoris loco, insigni eruditione conscriptam dissertationem de *Momentaria possessione & lite vindiciarum* reliquit, quam Anno MDCLXIX. ad diem VI. Julii sub moderamine Beati Dn. ADRIANI BECKERTS à THIENEN *Juris Publici, & Pandectarum Professoris Ordinarii*, in publicum prolatam, in

Henrici de Cocceji.

in palæstra disputantium, magna Auditorum frequentia tuitus est, ex quo fructu, ultra ætatem maturo, satis de victoriæ lauru, quæ *Noftrum* expectabat, & de futuris progressibus omnari licebat.

Inde patriam salvus & incolumis repetiit, ubi tamen non diu, peregrinationem iterque in exterarum Regionum meditando, commoratus est. Quoniam vero præ cæteris Angliam, ob doctorum virorum abundantiam & in ea Celebratissimum Oxonicum, magni faciebat, quod à primordiis statim suis in Professorum suorum serie recensuit viros, quorum fama per universam Europam evulgaretur, ita proposito suo Regnum istud visitandi tanto magis inhærebat, quanto magis avunculum suum carissimum *Henricum ab Oldenburg*, spectatissimi exempli virum, tunc temporis imperante CAROLO II. Regiæ Societatis Anglicanæ membrum Londini degentem sciret, cuius & inhabitavit domum, & frequentavit mensam, è familiaribus cum eodem congressibus, subinde aliquid discens, quod usui videbatur futurum.

Iter ergo aggressus, Londinum pervenit d. VI. Octobr. MDCLXX. in qua metropoli, dum Collegiis experimentalibus, Magni nominis BODLEJI, insigni attentione sæpius intererat, tantum ardorem Philosophiam è genuinis fundamentis addiscendi de novo sensit, in eaque tam admirabiles fecit progressus, ut peculiare *Systema Philosophicum* multo labore congerisset, quod tamen subsecuta anno MDCLXXXVIII. miserrima ac deploranda illa expugnatione Gallica urbis Heidelbergæ, una, cum reliquis Excellentissimis MSS. totaque elegantissima Bibliotheca, quam Magno sumtu nec minori studio non tam sibi, quam aliorum commodis paraverat, partim furore Gallico perditum, partim igne concrematum est, quod damnum vix refarcitum, omni tempore tam ægretulit, ut postea desuper nullus solamini locus fuerit. Atque sic non jejune ad studium Juris accessit, sed variis Philosophiæ elegantioris literaturæ stipatus administriculis, neque ea, Jurisprudentiæ campum jamjam ingressus, inde posthabuit, sed magna sedulitate semper coluit, ac persecutus est: Siquidem lectionibus & disputa-

Bremam
revertitur.

Iter in Angliam.

Londinum
concedit.

Bibliotheca
combusta
Heidelbergæ.

tionibus, quantum per valetudinem licuit, ita interfuit, ut nullas se horas collocare melius existimaret, nisi quibus ab ore suorum Præceptorum hæreret.

Accessus ad
Principem
Araus:

Favit ei fortuna, ut tunc temporis in Angliâ gratia ac conversatione speciali *Serenissimi Principis Arausionensis WILHELM* postmodum *M. Britannia Regis Gloriosissimi* frueretur, apud quem tantam sibi conciliavit existimationem, tantumque accessum, ut cum *incomparabili Principi** gradus Doctoris Juris Oxoniæ celebratissimo Musarum emporio conferretur, singulari Magni Herois commendatione, *egregius hospes Noster* eandem dignitatem & Doctoratus in Jure immunitates, more solenni, XIII. Cal. Jan. anno eodem obtineret. In cujus negotii fidem majorem, illustris Academia Oxoniensis sequens Henrico Nostro Diploma impertivit.

Doctor
Oxoniam
creatus.

Diploma
Oxonienſe.

Cancellarius, Magistri & Scholares
Universitatis Oxoniensis, omnibus, ad quos
præſens hoc scriptum publicum pervenerit, Salutem in Domino sempiternam.

Cum bene merentibus præmia, ex oraculo Juris tribui oporteat, & consueverit alma mater Academia non solum alumnos in gremio suo adolescentes, decursis artium & scientiarum studiis, probitatis & Doctrinæ editis speciminibus, gradibus literariis cobonestare: Sed & in exteris Academiis educatis, qui morum integritatis & eruditionis conspicuæ documenta sufficientia exhibuerint, non tantam honoris ergo, sed etiam pro meritis gradus debitos tribuere. Cumque Ornatisſimus Vir, HENRICUS COCCEJUS, Brema Saxo, in Academiis peregrinis, utriusque Juris prudentia jam per complures annos præclarus, & in questionibus boni æquique rite determinandis felix admodum & perdoctus, Nobis à Celsissimo Principe GUILIELMO HENRICO, Principe Arau-

* Ex quo enim *Cromwellus*, Studiorum suorum cursu in alma Cantabrigiensi absoluto, Magistrum Philosophiæ se renunciarî passus est, plerique *M. Britannia* Proceres, summaque nobilitate conspicui, eundem honorem sibi deferri non aspèrnatî sunt, in primis postquam *Jacobus I.* Rex sapientissimûs, Studiorum pretium in aula Anglica summo pæce creaverat. *vid. Vita Cromwelli.*

Henrici de Cocceji.

Arausionensi commendatus fuerit: Sciatis, Nos [ne tam pulchras Viri optime meriti *dotes*, minoris *æquo* *æstimare* *videremur*,] *eidem* *eximio* *Viro*, HENRICO COCCEJO, in *frequenti* *Senatu* *Academico* XIII. *Calend. Jan. c. i. d. c. lxx.* in *honorem* *Celsissimi* *Principis* *Arausionensis* *Oxonie* *habito*, *conspirantibus* *omnium* *suffragiis*, *Gradum* *Doctoris* *in* *Jure* *Civili* *concessisse*, *eumque*, *in* *supremo* *illo* *Purpuratorum* *ordine* *deinceps* *collocandum* *decrevisse*; *In* *cujus* *rei* *fidem*, *Sigillum* *Universitatis* *Oxonienſe* *commune*, *quo* *hac* *in* *parte* *utimur*, *presentibus* *aponi* *fecimus*. *Datum* *in* *domo* *noſtræ* *congregationis*, *ipſis* *Calend. Febr. Anno* *Regni* *Sereniſſimi* *Domini* *noſtri*, *CAROLI* *SECUNDI*, *Dei* *Gratia* *Anglia*, *Scotia*, *Francia* & *Hiberniæ* *Regis*, *Fidei* *Defenſoris* & *c.* *Viceſimo* *tertio*, *Annoque* *Domini*, *Milleſimo* *ſexcenteſimo* *ſeptuageſimo*.

(LS.)

Quo loco, & hoc referendum est, quod perantiqua hæc Univerſitas, COCCEJUM, per Deputatos suos, quos in Marchiam, ad Jubilæum Francofurtense, Anno MDCCVI. ablegaverat, peculiari prorsus privilegio cohonestaverit. *Ad eundem enim*, (uti ipsa Diplomatis verba se habent,) *Gradum, Statum & dignitatem eum apud Oxonienses admiserunt, quibus apud suos Francofurtenses insignitus erat.*

Speciale
privilegiū
Oxon.

Per illam igitur hyemem, in Anglia commoratus, non sufficere existimabat, viros doctos adiisse, Bibliothecas perlustrasse, antiquitatum reservatoria examinasse, nisi simul reliquas finitimarum Regionum Aulas, Societates, Collegia, urbes splendidiores, castella, palatia, mores, leges, instituta Gentium, innumeraque varia, quorum ingens in Jurisprudentiam solidam est influxus, ulteriori peregrinatione consideraret, & abstrusas singularum scientias & arcana Reipublicæ exploraret. Erant tunc, in Batavis & Britannis, Viri, virtute ac eruditione clarissimi, & Gallia vicina, majores suos ingenii laudibus illustres æmulata, optimis artibus ac disciplinis, etiam legum interpretamentis adfluebat. Unde anno MDCLXXI, sub Mensis

Iter in
Galliam.

Mar-

Martii finem Lutetiam Parisiorum, elegantiarum omnium Nobilissimam magistram & ducem concessit, ubi per prædicti Avunculi literas commendatitias, in virorum eruditissimorum notitiam ac familiaritatem pervenit, à quibus, præclara urbanitatis honorumque specimina expertus est. Per semiannum autem, quo in Gallia versatus fuit, linguæ, corporisque exercitationibus, tum antiquitati noscendæ & dedit operam inprimis, & genium gravem, profundum & quanticunque acuminis politici regularumque Status capacem ipsis approbavit Gallis, mirantibus in illo suas artes, & pondus dicendi cum multa amœnitate gratiaque temperatum. At, cum hic aliquantum hæssisset, vergente anno, Argentoratum versus, iter instituens, in Germaniam rediit, *Spiræ* aliquamdiu permanens, ut in hoc summo sacri Imperii Tribunali, quod tum hac in urbe fuit, ad praxin Judicariam se applicaret.

Roditus
in Germaniam,

Heidelbergam proficiscitur.

De Proportionibus disputationem.

Accidit eodem tempore, ut *CAROLI* Principis Electoralis, Palatini, cum Regia Principe Danica, *WILHELMINA ERNESTINA, FRIDERICI III.* Daniæ Norvagiæque Regis filia, initum matrimonium d. xx. Sept. d. a. consummaretur, ideoque ad videnda harum nuptiarum solemnia, Heidelbergam se contulit, ibique, ad diem xxix. Sept. notissimam illam, stupendam eruditione elaboratam disputationem *de Proportionibus*, examini eruditorum publico exhibuit, in qua, refutata vulgari sententia, exposuit; *Aristotelem Justitiæ duas separasse partes seu objecta, primo in commutationes seu contractus, unde Justitiam fecit commutativam, seu correctoriam, deinde in distributiones præmiorum & onerum, unde confecit Justitiam distributivam, in illa Xenophonis, in hac Platonis sententiam amplexus. Cum enim ex eo capite omnis Justitiæ ratio ducatur, ut suum cuique tribuatur, illud suum; medium aliquod proportionale & æquale faciunt, quod juxta proportionum regulas inter omnes conservandum, aut; si inde discedatur, per easdem inæqualitas corrigenda. Illa autem, quæ æqualiter singulis tribuenda supponunt, vel concernunt cives, quatenus sunt membra, in eadem communi Rep. viventia: uti honores ac præmia, onera ac munia; vel privatam ipsorum conditionem: uti sunt contractus & delicta, iisque debita pœnæ, in illis requirant æqualitatem*

re-

respectivam pro ratione conditionis, aut alterius circumstantiae convenienter proportionatam, eamque Geometricam dicunt, & solet distributio prorata facta dici; In his simplicem & absolutam equalitatem, eamque proportionem Arithmetica[m] vocant, ita tamen ut computentur simul lucrum, seu plus boni unius, & damnum, seu plus mali alterius, & subducto excessu, lucrum & damnum ad equalitatem redigantur. Quam tamen Aristoteles & sequacium sententiam, tum, ut omnino falsam & erroneam, tum, ut quid sint proportionibus, & quatenus ad iustitiam & Remp. applicanda ex primis ubique cognitis & simplicissimis principis luculenter ostendit (1.) Falsum esse, proportionem Arithmetica[m] attendi, & observari equalitatem rei ad rem, ita, ut per eam contrabentes simpliciter equalia accipiant, quod errori causam dedisse, videtur; equalitatem enim, quae in proportionem Arithmetica[m] requiritur, non esse mediorum, neque requiri, ut media sint equalia, sed distantiae extremorum à mediis, illeque equalis, ut sint necesse est. Media autem, quae contrabentes habere debent, iisque competunt, si sunt unequalia, per hanc proportionem non reduci ad equalitatem, sed unequalia manere. (2.) Falsum esse Iustitiam, sive id, quod ex Iustitia cuique debetur, esse medium aliquod proportionale, ad quod id, quod iustum dicitur, redigendum sit per proportionem, vel Arithmetica[m], vel Geometricam. Medium enim α) non esse, nisi inter duo extrema, distincta ab ipso medio, ita ut distincte aliud concipi non possit, quid sit medium, aliud extrema, & in his aliud excessus, aliud defectus, idque constare ex natura relatorum, illaque in Iustitiae speciebus necessaria non esse. β) Vitiosam esse illam distinctionem, qua in Iustitia commutativa arithmetica[m] proportionem, i. e. omnimodam equalitatem, in distributiva Geometricam observandam esse dicitur, quia (a.) & in commutativa occurrunt species proportionis Geometricae ac distributiones, & in distributiva Arithmeticae, imo in eadem saepe legis specie utraque promiscue. (b.) proportionibus esse tantum instrumenta quadam extrinseca & quasi mensuras, quibus debitum, quod lege definitum est, dividitur & computatur, adeoque ad hanc, aut illam speciem Iustitiae non magis pertinere posse, quam mensuram ad agrum, aut additionem, sive alias quasvis numerationum species ad debitum, nec ulla alia ratione attendi in

Juris casibus, nisi quatenus per rationes æquitatis ac justitiæ aliquod jus ex æqualitate, vel simplici, vel proportionata constituitur, quod per has species explicatur. (c.) Plurimos esse in Juris materiis casus, evidentem habentes æquitatem ac Justitiam, nec tamen ad ullam proportionis rationem referri posse, imo directe contrariam proportionum regulis decisionem sæpe continere, indeque effici, Justitiam, seu id, quod per eam cuique debetur non esse medium proportionale, alias enim semper ad proportionum regulas reducendum esset, quod tamen non fit. (d.) Eandem illam proportionem, quam DD. Justitiæ commutativæ propriam faciunt æque occurrere in distributionibus, & in iis, sicubi à medio receditur, reductionem ad illud medium fieri per proportionem Arithmeticam, indeque evidens esse, quam infeliciter DD. istam suam hypotesin in proportione determinanda expediverint. Et hisce præmissis veram sententiam ita explicavit in Sect. II. primam naturæ legem, legum æqualitatem esse videri, donec inæqualitatis ratio apparet, hanc naturam res tantum produxisse, non distribuisse, & hæcenus homines æquales fecisse uni præ alio nihil concedendo, hancque legem naturæ primam tamdiu obtinere, donec apparente aliqua distinctione æqualitas ejusque jus evanescat. Et hinc esse, quod distributiones fiant æqualiter, quando proportionales adjectæ non sunt, & si aliquid inæqualitatem suadeat, & dubitetur, quid determinandum, ad simplicem illam æqualitatem redeatur. Cum autem ipsa natura hic non substituerit, sed ad multarum rerum distinctionem processerit, & inter homines variæ infinitæ circumstantiæ distinctionem jurium inducant, tunc recedi à simplicissima illa æqualitate, inspicique, quod jus, cuique subjecto conveniat, & ita justam proportionem scil. Geometricam in honoribus aliisque distributionibus, uti in contractibus, sæpe observari. Neque tamen hanc proportionatam & respectivam æqualitatem perpetuam esse, sed tantum, quamdiu infinitam proportionem specialior ratio non destruit, quæ aliquando ipsum proportionis Jus confirmat, aliquando autem indefinitam & respectus diversos habentem ad certum aliquem respectum restringit, imo aliquando plane destruit, & inæqualia omnino inducit. Omnibus ergo his modis, distribuere suum cuique Jus posse, ut vel æqualia habeant, vel proportionata,

Vera de
proportio-
ne senten-
tia.

ta, vel plane inæqualia, non tantum in honoribus, sed in quavis justitiæ parte. Et ex his Juris fontibus, quemque suum habere in Republ. per illud Justitiæ officium, quo illa singulis suum tribuit, adeoque distributorium est. At, si in illa distributione aliquid commissum, ut quis non habeat, quod ex Justitiæ officio distributorio ipsi debetur, jam eandem justitiam corrigere, in quo peccatum, quod ejus est officium correctorium, & per proportionem Arithmeticam fit, qua excessus demitur, & defectus suppletur. Non igitur duas hic esse justitiæ species, sed unam eandemque Justitiam, verum diversas ejus functiones, per quarum alteram congrua distribuit, per alteram incongrua corrigit, indeque non dici justitiam distributoriam, vel correctoriam, sed justitiæ officium distributorium, aut correctorium. Sive ergo æqualiter distribuendum fuit jus, sive proportionale, sive inæqualiter, sicubi in aliqua parte inde discedatur, solam esse proportionem Arithmeticam, quæ in omnibus istis speciebus excessum, aut defectum corrigit, non tantum in illa parte, quæ vulgo commutativa dicitur, sed & in distributiva. Et hac demum ratione, illam omnibus Juris partibus recte applicari, quando suo singulis rite distribuo, per justitiæ officium distributorium singuli id habent, quod ipsis competit, sive id sit æquale, sive proportionatum, sive inæquale, hocque habere rationem medii, à quo si per contractus, vel delictum, aut alia ratione inde discedatur, per proportionem arithmeticam tunc fieri correctionem. Et has esse duas justitiæ partes, quibus omnis juris tractatus consumitur. Primo leges, quæ singulorum sint jura, exponunt, & ita suum cuique distribuunt. Deinde remedia proponunt, quibus singuli, si, quod ipsis jure competit, non habent, consequantur. Illud fieri distributorio Justitiæ officio, vel per omnimodam æqualitatem, vel certam proportionem, vel omnino inæqualiter suum cuique tribuendo; hoc correctorio ejus officio, varia remedia inveniendò, quibus juxta regulas proportionis arithmeticæ excessus & defectus, idque in omni juris parte reducantur. Quam materiam porro innumeris exemplis ex antiquitate, historia & jure defumptis, ad omnes & singulas Juris tum sacri, tum profani species applicavit, & illustravit.

Sic fatum præstruebat tunc materiam, causas, occasionem,

instrumenta pluribus rebus, quæ deinde NOSTRO evenere. Non latere ignis potest, erumpit, emicat, & circum se omnia illustrat. Eadem vis ingeniorum est, quæ, ut mens ipsa, ad celestem ignem originem suam referunt, nec in obscuro latitare possunt, sed dotes suas igneas emittunt, & quoquo versum inclarescunt, nec de publico mereri ac prodesse pluribus desinunt. Hoc specimine *Nostrum virtutis ac doctrinæ Lumen*, cum in tenebris latere non poterat, tantam apud sapientissimum Electorem CAROLUM LUDOVICUM Palatinum, qui primus summam COCCEJI doctrinam perspexit, acquisivit sibi gratiam, ut ille ante ejusdem anni MDCLXXI. effluxum, eum non modo consiliis suis adhibuerit, verum etiam, ut multos alios similes formaret, in perantiqua Heidelbergensi professionem Juris Nat. & Gentium ordinariam, quod Jus in Germania omnium primus cathedræ Juridicæ publice editisque eam in rem speciminibus asseruit, * clementissime ei decreverit, quam quoque Provinciam HENRICUS NOSTER suscipiens, disertissima oratione de LEGE SALICA ipso Electore, Principe Electorali, Raugravio, Aulique Electoralis proceribus præsentibus d. XXV. April. MDCLXXII. auspiciatus est, quæ dicto Electori adeo placuisse fertur, ut propria manu diversas annotationes ad marginem ei adjecerit.

Professione J. N. & G. condecoratur.

Oratio inauguralis.

Merita in studiosam juventutem.

Connubium,

Primus hic gradus erat publicus, ad plures honores subsecuturos, quem etiam omni cum laude gerebat, ut non solum prudentissimo Principi, sed Collegis etiam, & optimo cuique ejusdem probaretur industria Judicii que gravitas. Ex quo tempore instructissimis lectionibus juridicis tam præclare de studiosa juventute non solum, quam litibus partium decidendis merebatur, ut aditum primum sibi in augusto famæ templo hisce aperuerit, in intima ejus penetralia summa cum diligentia elaboratis speciminibus receptus, ut unicum sæpe legis vocabulum ad accuratissima themata juridica ansam ei præbuerit.

Professionem hanc vix inchoaverat, cum Sponsalia cum Viri

* Hoc ideo notandum, ut sententia illorum, qui B. Sam. Pufendorffio id tribuunt, refutetur, cons. *Perill. L. B. de Cocceji Resol. Aulicor. circa hypoth. de J. N. §. 29. p. 79.*

Henrici de Cocceji.

Viri Illustris & Excellentissimi *Samuelis Howardi*, Sereniff. Wurtembergiæ Ducis Cancellarii & Consiliarii intimi, Hæreditarii in Diersheim, filia unica MARIA SALOME, Virgine virtutum, generis & formæ flore maxime illustri celebraret, cum qua tandem d. XXI. Octobr. anno MDCLXXIII, conjugium faustissimum & auspiciatissimum perfecit, quod uti feliciter initum, sic & concorditer gestum, ac per omne vitæ tempus fortunatum fuit; uti autem fortunatum, sic & diuturnum, quippe per XLVI. annos gestum atque fœcundum fuit.

Matrimonio consummato, iter *Bremam* instituit, ut tanto interjecto temporis intervallo confanguineos, cæterosque affinitate sibi junctos in Patria reviferet, cumque prosper apud suos advenisset, illustris hæc Respublica eum magnis honorum ornamentis condecorare studens, Senatorio munere dignum judicavit; Quia vero *Electo Serenissimus* insignibus tanti viri meritis carere volebat, hinc munera civitatis Patriæ oblata, recusare coactus est. At nihilominus singulare ac optimum hoc affectus civici specimen, tantam fidem erga ipsam Patriam, quæ perquam blande *Nostrum* fortibusque vinculis traxisse visa est, COCCEJO indidit, ut vivus nullam occasionem gratum animum erga præstantissimam hancce Rempubl. liberam, quovis in negotio testandi, unquam prætermiserit.

Inde Heidelbergam redux cum Jurisconsultissimo *STRUVIO*, *Saxoniæ Ducum Consiliario intimo & Antecessore Primario Jenensi*, in notam illam controversiam * circa materiam doli & culparum, earumque præstationes, de qua COCCEJUS integrum Tractatum, Anno MDCLXXIII, conscripserat, incidit, quæ scripta, in hunc usque diem omnium in manibus versantur. Tantum vero absuit, ut hæc Disceptatio aliqualem inimicitiae ansam summis hisce Jctis præbuerit, quin mutuam potius existimationem usque ad vitæ finem reciproce foverint.

Prout igitur ingenium sortitus erat, non minus ad meditationes Academicas, quam ad forum ac Principum negotia sagacissimum, ita tam notus acceptusque omnibus in eis verfabatur, quanta apud alios fama clareret. Non semel ejus ex-

* De hac aliisque eruditus controversiis infra suo loco pluribus agetur.

conf. infr. p. 2

Iter Bre-
mend.

Contro-
versia cum
Struvio.

Deductio
causæ Pa-
latino-
Mogunti-
næ.

petita fuit opera in componendis summorum Principum liti-
giis, qui non tantum arbitrio ejus stabant, sed dexteritati quo-
que tanti viri, illustri exemplo ac honore, se committebant.
Haud extra viam deflexurus sum, si congruum exemplum hac
de re afferam, ac delite inter Palatinum & Moguntinum Electo-
res, ob præfecturam *Böckelhemensem*, eique conjuncta oppida
Sobernheim & Monzingen, superiori seculo orta, pauca e dedu-
ctione juris & facti, quam CAROLUS LUDOVICUS stylo ac
opera COCCEJI in Comitibus Imperii Anno MDCLXXIV. ex-
hiberi curavit, excerpta subjungam. Acquisivit hæc loca *Fri-
dericus Victoriosus* Palatinus Elector, eaque medio Seculo XV.
bello legitimo *Ludovico Nigro* Comiti Palatino Bipontino eripuit.
At *Philippus Elector*, inita, cum *Casparo & Alexandro*,
Ludovici filiis transactione, illorum possessionem confirmatio-
nem sibi reddidit, & ad posteros transmisit, quæ *Fridericus IV.*
Elector, Simerensi Ducatui incorporavit, & filio secundo genito
Ludovico Philippo assignavit; qui quoque ea tamdiu quiete te-
nuit, usque dum Ao. MDCLXIII. *Johannes Philippus* Ele-
ctor Moguntinus filium illius *Ludovicum Henricum* obturba-
vit, asserendo Palatinos *Bæckelheimium* cum castris hypothe-
cario tantum titulo, pro certa pecuniæ summa possidere, seque
jam paratum esse, ut loca ista relueret. Ideoque Comes Pala-
tinus Simerensis rem novam confestim ad Electorem patru-
lem, tanquam familiæ Palatinæ caput, detulit, consilium ejus
opemque flagitavit, & certam ejus spem simul obtinuit. Ni-
hilo tamen secius Moguntinensium minis percelli se ac permo-
veri paulo post passus est, ut inscio patruale pactorem iniret,
& dominium directum in hæc loca Moguntino traderet, sibi
vero posterisque masculis utile tantum dominium, a Sede Mo-
guntina beneficiaria lege accipiendum reservaret, permitte-
retque, ut subditi eo pertinentes, nec non ipse præfectus castris
Böckelhemensis cum reliquis subofficialibus homagium Mo-
guntino eventualiter præstarent. At Palatinus, retam info-
lenti percepta, Notarium delegavit cum testibus, qui insinuatis
Moguntino solemnem ceremoniam literis, clandestino illi actui, suo
agnatorumque nomine contradiceret, competentiaque jura
sibi

fibi reservaret: Quæ protestatio, cum *Johanne Pbilippo* mortuo, *Lotharius Fridericus* denuo subditos ad homagium illud eventuale adegisset, repetita est. Posteaquam vero ipse Comes Palatinus Simerensis vivis excessit, ejusque cuncta hæreditas ad Electorem CAROLUM LODOVICUM patrualem devolveretur, ille nihil cunctatus, in possessionem *Bækelhemii* vacuam involavit, subditos cum officialibus in fidem suam jurjurando adstrinxit, adeoque Moguntinos ferovesientes prævertit. Exarsit autem exinde lis acerrima inter utrumque Electorem, quam Lotharii Successor *Domianus Hartardus*, loca ista erepta a Palatino repetens strenue persecutus est, donec Cæsar interveniret, ac sequestrationem istorum locorum suaderet, qui & hoc nomine illa occupavit. Defensio igitur causæ, tum ab Electore Palatino COCCEJO committebatur, qui dicta oppida sive castra jure belli capta esse ex jure Gentium contra adversarios in Jus Civile Romanum excurrentes, doctissime adseruerat. Atque ad hanc litem dirimendam, Commissio Cæsarea in rem præsentem adornata, & *Ill. L. B. à Seiler Augustiff. Romanorum Imperatoris Consiliarius Aulicus, Imperiique Vice-Cancellarius*, ad tentandam inter utramque partem compositionem, Heidelbergam missus fuit, ubi ventilata diu inter eundem & *Nostrum* quæstione præjudiciali: An isti Principes Jus belli, quod tamen post pacem publicam statibus non amplius competere asserebant, habuerint? Sententia COCCEJITUM obtinuit, quod Jure belli, quod Imperii Statibus per *Aur. Bull. c. 17. §. f. R. I. 1526. §. 5. R. I. 1530. §. 72. R. I. 1542. & Instr. Pac. Westphal. art. 8. §. 2.* confirmatum ac concessum, ista loca tum acquisita fuere, adeoque nullus plane præscriptionis respectus haberi potuerit.

Commissio Cæsarea.

Quanti nunc ulterius æstimati fuerint *magni hujus ingenii* conatus, ex eo apparet, quod anno MDCLXXVII. Acta & Protocolla perantiquæ *Curia Feudalis Palatine*, unde * pluri mi Principes, Comites aliique Status Immediati feuda recogno-

* Electori Palatino id præ aliis Imperii Principibus præcipui est, quod Clientum & Vassalorum copia omnes Imperii Procere antecellat. Catalogum illorum ordine enumerat. *Spener. in Op. Gen. Herald. L. 3. c. 27. §. 8. & Anter des Teutschen Reichs Staats.*

Professio
Juris seu-
dalis

& Pandec-
tarum,

Mors Ca-
roli Ludo-
vici.

Vocatio
Electoris
Brandenb.

Consilia-
rius Status
intimus
declaratur
& Assessor,
Collegii
Revisorii.

gnoscunt, perlustrandi facultas una cum professione ordina-
ria feudali, quam exactissima illa juris publici & veteris Ger-
maniae historiae cognitio conciliabat, decreto Electoris speciali
ipsi demandaretur, qua occasione *Hypomnemata Juris Feuda-
lis*, quae universum hujus juris ambitum sistunt, ejusque intri-
catissimas controversias ex principiis certis compendio sol-
vunt, Francofurti demum edita, meditata est, in quibus praxin
cum theoria tam Auditoribus, quam Lectoribus inculcavit
ac praescripsit. Cui muneri, elapso nondum biennio, anno
MDCLXXX. Professionis Pandectarum Provincia auspiciis
Electoralibus surrogata est.

Haec fulgens ubique COCCEJI gloria, quo longius serpe-
bat, eo majorem sui admirationem & summis, & mediis, & in-
fimis ingenerabat. Vix CAROLUS LUDOVICUS, ingenio-
rum aestimator, ille acutissimus decesserat, cum professio juris
primaria in alma Viadrina Marchica vacaret; insignis erudi-
tio ac gloria *Nostri* in tam excelsis & illustri loco posita, movit ea
propter maximum aeternaeque memoriae Principem FRIDE-
RICUM WILHELMUM M. Electorem Brandenburgicum,
ut Perillustris JOHANNIS FRIDERICI RHETII à *Glorio-
sissimo Heroë*, ad aulam Berolinensem Summumque Status
Consilium anno MDCLXXXII. evocati, viri in omnia virtu-
tum exempla alias geniti, amplissimosque honores excellenti
ingenio, industria incredibili ac fide meriti, juris docendi pro-
vinciam *Beato Nostro* rursus conferret, eamque reciperet in
numerum eorum, qui incomparabili Principi tunc erant à
consiliis, literis ea de causa gratiosissimis Heidelbergam mis-
sis, quem honorem tamen, dum ab Electore CAROLO, *Caroli
Ludovici* successore veniam ad vota precesque impetrare non
poterat, cultu humillimo deprecatus est.

Nec tamen adhuc figebantur nescia stare virtutis merito-
rumque erga indulgentissimum Electorem praemia, sed ad de-
clarandum insignem affectum dicto anno MDCLXXXII. in
Summum Status Palatini consilium receptus, ipsi *Electori Prae-
senti* juravit, simulque ad Assessoris supremam dignitatem in
judicio Revisorio Electorali evectus est. Equidem sunt haece
præ-

præcipue temporibus permulti, qui gravissima quæque munia enixe ambiunt, qui tanto se digniores putant, quanto sunt alii non meliores quidem, sed tamen avidiores: Attamen illis evenit quod Galbæ, qui omnium judicio dignus Imperio habitus fuisset, nisi imperasset. COCCEJUS, qui pro innata sibi modestia non minus de se ipso tenuiter, quam alii de eo magnifice, sentiebat, expalluit initio, cum ei ab Electore gravissima hæc munera offerrentur. Qua propter quos alii honores avidè fuerant expetitori, hos ille propemodum accipere dubitavit, at cum indulgentissimus Princeps, cujus autoritas ei semper pro certa lege erat, non modo nihil de postulatione sua remitteret, sed & serius ac instantius urgeret, ipsius tandem mandatis satisfecit, summasque has dignationes ex voluntate *Gloriosissimi Herois* aggressus est; à quo in fidem acceptus, nunquam ita maximis istis, quos capiebat, honoribus tunc Noster lætatus est, quam elogio illo Electorali: *Impense gaudere se, quod ex animi sententia consilium suum sanctius COCCEJO auxerit, atque omnino se sperare, Domui Palatinæ civibusque rectè ita prospectum.* Ex quo tempore negotia Aulæ Palatinæ publica tractans, nobilissimam Juris Publici Germanici praxin addidicit, tam copioso fructu, ut conceptam de se spem non modo implet, sed etiam vinceret. Utque eruditionem suam in scientia Medica orbi universo probaret, ita ad preces *B. Georgii Franci*, Med. & Philos. D. Professoris Publici, Academiæque Heidelbergensis Pro-Cancellarii in *PAULI ZACHIANÆ Quæstiones Medico-Legales* annotationes five meditationes Medico-Juridicas passim adjecit, quæ cum aliorum celeberrimorum virorum commentariis & illustrationibus in integrum opus collectæ anno MDCLXXXVIII. tandem Francofurti ad Mœnum in lucem prodire.

Prævalebant vero jam Fata consiliis, illaque in Palatinatu consecuta sunt tempora, quæ quo notiora sunt malis publicis, eo minus egent commemoratione ac stylo nostro: Maximo enim *Nostrum* afficiebant tædio differentia inter ipsum Electorem ejusque conjugem, ut & confusum pariter ac dere stabile regimen famosissimi cujusdam *Gubernatoris Ecclesiastici*, qui

Elogium
Electoris.

Commen-
tarius in
Zachiam.

Fata Gu-
bernatoris
Ecclesiasti-
ci,

CAROLO simul à Consiliis secretioribus & confessionibus erat, & tum muneris gravissimi, tum conscientiae suae immemor, non solum in sanctiora Status Consilia se immiscebat, sed & liberrimam directionem personae & conscientiae *Electoris* multarumque actionum civilium injustissimo modo sibi vindicabat, variisque artibus clandestinis, imo impiis machinationibus multa contra optimi Principis matrem, uxorem & Ministros moliebatur, siquidem, non tantum arctissimum illud vinculum conjugale dissolvere, Dominumque uxori infensum reddere, sed & Electorem lenocinio corrumpere & ad furtivos vetitosque amores, quos tamen Princeps piissimus religioni sibi ducebat, inducere ac adhortari studebat, usque dum post CAROLI lineae suae ultimi praematurum è vita excessum, sub successore in Electoratu, meritas criminum suorum ac malevolentiae poenas daret.*

Afficitur
poena Ann.
1686.

Palatina-
rus, Caroli
obitu affli-
gitur,

Domus
Neoburgi-
ca,

Professio
Decreta-
lium,

Uti vero hoc ipso perturbato rerum Statu, ingens terror terrae Palatinae subito incussus, sic publice immensum COCCEJO luctum, acerbisque lacrymas excivit isto tempore repentina mors CAROLI, quem florentissima aetate XVIII Maji, MDCLXXXV. decedentem, sic veneratus erat atque amaverat, ut per illum vivere se, per illum diuturna tutela, ac felicitate quantacunque frui arbitraretur. Accedebat moeror ille Justissimus, quod ita linea Simerensis Reformata, proh dolor! exareret, succedente nunc Palatino-Neoburgica, de qua, utpote alienae religioni addicta, Ministri & Officiales veterani, parum proficui sibi promittere poterant.

Nihilo tamen secius novi Electoris PHILIPPI WILHELMI Gratia, ingensque affectus in COCCEJUM, magis magisque in dies augebatur; Antecessore enim Academiae, tum anno MDCLXXXVII. vita functo, ad Decretalium honoratissimam professionem, qua ei plus autoritatis, dignationis functionis prae caeteris omnibus accreverat eum promovit.

Hac

* Editus est publice Anno 1689. libellus sub titulo: *Der ungewissenhafte Gewissen& Rath/ıc.* ubi tota criminis accusatio IX. literis ab hoc sacerdote ad Electorem perscriptis, carminique in diem ejus natalem exarato, innititur, conf. *Celeberr. Leyseri disspui. de Veris delictis Ministrorum Principis. §. 56. 57.*

Henrici de Cocceji.

Hac rerum facie, nec intra urbis, aut Academiae, aut Provinciae Germanicae limites, magnum illud COCCEJANUM Nomen contineri potuit, sed quaquaversus, egregio flumine diffusum, viros, fama meritisque celeberrimos, ipsasque maximorum Regum Aulas amore sui inundavit. Placuit hoc conspicuum fidus tantopere, Augustissimo PETRO II. Lusitaniae Algarbiaeque Regi potentissimo, ut occasione, à COCCEJO, anno eodem in alma Heidelbergensi defensionis & Monarchae huic à Respondente Ill. *Neukirchio* jam Reverendiss. Episcopi Osnabrugensis Consiliario intimo, dicatae dissertationis *de Justitia Belli & Pacis in Statu Regni Portugalliae fundata*, sub ipsum adventum Sponsae Lusitanicae MARIAE SOPHIAE ELISABETHAE ex Domo Neoburgica, *Gloriosissimus Rex*, illustri eruditissimi speciminis Praesidi, gratiam suam incredibili benevolentiae Regiae testificatione, Heidelbergae nunciari iusserit.

Petrus II.
Lusitaniae
Rex.

Mutato memorato tempore Regiminis Statu, Rebusque Palatinis indies in pejus ruentibus, ut modo ostensum, *Noster* haec quasi praevideos, cum sc. Illustriss. Ordines Trajectini, ipsi professionem Juris publici una cum ingenti honorario dicto anno offerrent, ad eam capeffendam se accingere, muneraque Aulae Palatinae publica deponere, eisque se abdicare decrevit, veniam ideo ab Electore instantissime & humillime petens; Verum, hanc nequaquam à PHILIPPO GUILIELMO impetrare poterat, qui ipsi ante oculos ponebat, illum, utpote terrarum formaeque Regiminis Palatini gnarum, plane unicum esse, erga quem veram sinceramque fiduciam coleret, unde potius clementiae suae testimoniis evidentissimis, animum *Nostrum* adeo confirmavit, ut oblatam à dictis Ordinibus sibi Provinciam repudiare necesse habuerit.

Professio
Jur. Publ.
in alma
Trajectinae,

Quemadmodum vero egregia terra Palatina, subita & terribili invasione Gallica, anno sequenti MDCLXXXVIII. in exitiosissimi belli flammam misere fuit exposita, COCCEJUS, non diutius ibi commorandum ratus, veniam denuo dimissionemque submisit, at frustra: Elector enim, ne in hisce calamitatibus summisque rerum miseriis defereretur, eo acrius & obstrictius apud Nostrum institit, quo facto, ultimum omnium

Galli Palatinatum
in vadunt,

Heidelber-
gæ dedi-
tio, & fu-
tor mili-
tum.

harum calamitatum eventum, ipsamque præclarissimæ urbis
mox insecutam deditionem expectare coactus fuit. Quo lo-
co sinistra Heidelbergæ Fata silentio præterire non possumus;
Durante enim obsidione Philippoburgensi Galli Ductore *Du-
rasio* Campi Marechalho Heidelbergenses ad deditionem co-
piis Urbi admotis provocaverant, qui cum tantis viribus im-
pares se esse cernerent, tandem D. ^{XIV.}_{XXIV.} Octobr. dicti anni cum
Gallis super urbis castelli que deditione his præcipue legi-
bus paciscuntur, ut Ministri Electorales ab onere inhospita-
tionis militum exempti essent, nec in Statu Religionis & Ec-
clesiastico quicquam innovaretur. Academia itidem omnes-
que qui ad illam pertinerent, Juribus, privilegiis & im-
munitatibus suis, cum primis quieta possessione ac redi-
tuum & bonorum perceptione semper gauderent, imo in-
colæ omnes à deprædatione hostili & exactionibus militari-
bus immunes servarentur. Hæ quidem conditiones, utut
non iniquæ videbantur, attamen quam infirma fides mili-
tis Gallici fuerit, tristis eventus sanè docuit. Etsi enim *Ma-
resballus Durasius* hæc deditionis capita rata haberet, imo
ipse *Gallia Delphinus*, qui una cum *Borbonio, Contiacensi &
Meduano Ducibus* postmodum D. ^{IV.}_{XIV.} Novembr. non solum
Electorales Ministros, sed & omnes Academiae Proceres, qui
in urbe remanserant, ad explorandum animi obsequium in sui
alloquium gratiosissime admittere non dedignatus, illa firmis-
sime servatum iri promiserat, gravissimis tamen tributis di-
risque exactionibus cives mirum in modum afflicti supra
80000. Argenti libras pro trimestribus hybernis solvere co-
acti sunt. Nec quicquam profuit, licet illa deditionis inita pa-
cta Gallis objicerentur, nihilofecius enim turmæ equestres in-
colarum domos adoriri jussæ mox, vel seni, vel octoni, vel de-
ni singulas Optimatum, Professorum & Senatorum ædes in-
vasere, & confusos concussosque civium animos ingentibus
crutiatibus tamdiu affecerunt, donec efflagitatam pecuniæ
summam & tributa sese soluturos promitterent. At cum im-
perata pecunia uno statim momento colligi exsolvi que non
pos-

Audientia
apud Gal-
liæ Delphi-
num.

posset, ferocissimis militibus licentia data residuum immanissima, qua vellent, violentia impune extorquendi.

Heidelberga igitur sede illa Electorali, optimoque ac florentissimo Musarum domicilio à Gallis (qui alibi quoque crudelissimistormentorum generibus tristem meritoque abominandam & ex factorum paginis olim jure expungendam sui reliquere memoriam) cum ingenti dolore aulae, civiumque expugnata, quilibet de propria salute erat sollicitus, adeoque *Beatus noster* tam multis ac variis adversitatum casibus probatus, dimissione tandem ab Electore ægerrime ac reluctantè animo impetrata in Ducatum Württembergicum, quorsum & *illustrem familiam* suam sub ipsius belli initium transmiserat, profugus concessit. Vix vero ditionem hanc attigerat, cum modo dicti Illust. Provinciæ Trajectinæ Ordines proxime elapso anno oblatum munus iteratis precibus ipsi denuo offerrent, quod etiam statim amplexus, Electori, qui multis & evidentissimis benevolentiae ac gratiae Electoralis significationibus datis fidissimi COCCEJI officia semper probavit, se scil. id ulterius aspernari non potuisse, juncta humillima gratiarum actione pro gratiosissime præstitis beneficiis Electoralibus aperuit, quo facto dimissione ita impetrata, ut dotes & virtutes ejus Elector magno pere commendaret, M. Decemb. MDCLXXXVIII. iter per Regiones à Gallis occupatas, non sine magno discrimine faciendum paravit, & tandem ipsius anni decursu per difficiles & periculosas ambages cum illustri familia *Trajectum Batavorum* appulit, ubi Provinciæ Ordines, Academiaeque Curatores admodum honorifice eum exceperunt & salutarunt.

Quam faustus ac felix Universitati huic accessus hic evenit, omnes norunt, qui modo Trajectum norunt. Recitavit ibi ad diem XI. Febr. MDCLXXXIX. quum ordinariam Facultatis juridicæ & Juris Publici professionem auspicaretur, pro more Orationem inauguralem, qua quætionem illam: *Utrum armis magis, an magis Legibus, vel Republica in genere defendi possit, vel in specie Romana defensa fuerit?* eleganter discussit, quæ oratio ob latini sermonis præstantiam & stylum puriorem omnes in admirationem sui rapuit. Prælegebat primum *Jus*

In Ducatum Württembergicum concedit.

Trajectum denuo vocatur.

Adventus in urbem.

Oratio inauguralis.

Lectioes.
d 3
Gent.

Gent. Publicum, vivaque magis voce docebat, quam ut prolixior-
rem sensum, in calamum Auditoribus dictitaret. Concurre-
bant undique terrarum juvenes, acroases COCCEJI cupidis au-
ribus haurientes, tam læta seges, quæ in dies maturescens fru-
ctus ex se datura exoptatissimos, in ea perficienda & ad bonam
frugem redigenda, uti in Palatinatu cœperat, omni cura allabo-
rabat, id quam maxime agens, ut in difficillima ficillima & lu-
brica fane juris tractatione, viam certiore[m] præmonstraret.

Eti autem hoc pacto Provinciam nactus erat, quam opti-
me ac prudenter administrando, præclare mereri de salute Rei-
publicæ non modo, sed totius Academiæ incrementis poterat,
placuit tamen Numini, ampliorem rursus campum *Nostro* ape-
rire, in quo nobilissima virtus ipsius decurreret, suamque ma-
gnitudinem explicaret. Vix enim, in hac alma Trajectina, bien-
nium exegerat, cum *Augustissimus Prussorum Rex*, & tunc tem-
poris *gloriosissimus Elector FRIDERICUS III. Celeberrimi SA-
MUELIS STRYKII, Consilarii Brandenburgici, Antecessoris &
Professoris in alma Viadrina Primarii*, ad Mufas Vitenbergen-
ses discessu evacuata munia, DANCKELMANNO & FUCH-
SIO suavoribus, non nisi hoc successore digne restitui posse pru-
dentissime statueret. Unde ad munus Ordinarii in Univerfi-
tate Marchica suscipiendum, SUMMUM COCCEJUM literis
gratiosissimis inde è castris Effringensibus Trajectum Batavo-
rum datis, sequenti modo sollicitavit.

Vocatio
Brandenb.
in aliam
Viadri-
nam,

Von Gottes Gnaden
Friderich der Dritte/
Marggraff zu Branden-
burg/ des Heil. Römischen Reichs
Erz-Cammerer/ und Chur-Fürst/ in
Preussen/ zu Magdeburg/ Jülich/
Elev/ Berge/ Stettin/ Pom-
mern 2c. Herzog/ 2c.

Unsern gnädigen Gruss zuvor;
Hochgelahrter/ Lieber/ Beson-

Dei Gratia FRIDE-
RICUS III. Marchio
Brandenburgicus, Sacri
Romani Imperii Archi-Came-
rarius & Elector, in Prussia,
Magdeburgi, Juliae, Cliviae,
Montium, Stedini, Po-
meraniae Dux. &c.

Salutem Nostram gratiosissi-
mam; Doctissime & Per-
cha-

der. Die ungemeyne Erudition, Wissenschaft/und andre rühmliche Qualitäten/ welche Euch eine so grosse Estime bey der ganzen gelehrten Welt zugezogen/ haben Uns vorlängst veranlasset/ darauf zu gedencken/ wie Wir Euch auf eine/ Euch und solchen Euren talentis convenable Weise in Unsern Diensten employren möchten: Und gleichwie sich nun/ durch die/ bey Unserer Juristen-Facultät zu Franckfurt an der Oder/ jeso vorgehende Veränderung hierzu eine bequeme Gelegenheit eräuet/ so haben Wir Euch vor allen andern darzu vorgeschlagenen subjectis die Stelle Unsers Raths und Professoris Primarii bey gedachter Facultät/samt dem erhöhten Gehalt/ welches Unsers in Gott ruhenden Herrn Vaters Gnaden/ Euch bey dergleichen Function schon hievor in eventum versprochen/hiemit in Gnaden offeriren wollen/ und gesinnen an Euch/ ihr wollet diese Euch deferirte Function und Ehren-Stelle annehmen/ Uns darüber eure Resolution sordersamst wissen lassen/ auch zu transferirung eurer Familie, und würcklicher Antretung solcher Bedienung unverzüglich Anstalt machen.

Ihr werdet dadurch bey dem Publico zu Erwerbung noch größern

chare. *Insignis eruditio tua, prudentia, cateraque illustra dona, quæ tantam apud eruditum orbem tibi promerere existimationem, jam dudum Nos impulere, ut de iis solliciti essemus mediis, quo pacto pro raris talentis tuis debite muneribus nostris te condecoraremus. Quem admodum ergo mutatione illa apud Nostram Facultatem juridicam Francofurti ad Oderam nunc existente commoda sese offert occasio: Nos, præ reliquis omnibus, quorum persone Nobis commendatæ fuere, tibi munus Consilarii Nostri & Professoris primarii in dicta facultate aucto salario, quod pie defunctus Dn. Parens Noster gloriose memoriæ Tibi jam ante cum ejusmodi functione in eventum promiserat, gratiosissime offerre duximus, simulque monemus, velis spartam hanc tibi delatam munusque suscipere, tuam desuper sententiam animumque quam primum Nobis aperire, & re ipsa ad familiæ tuæ translationem & oblati muneris inchoationem necessaria omnia procurare.*

Ita ad majora merita in Republica acquirenda nasceris

Fata & Merita.

meriti occasion erlangen: Und gleichwie wir wohl begreifen/ wie sehr eure Gegenwart zu Franckfurt die reputation und das Aufnehmen selbiger Universität vermehren werde; Als könnet ihr euch dabey eines so gnädigen tractaments vor Euch und die Curige von Uns versichert halten / daß Euch diese vocation angenommen zu haben/ gewiß nie gereuen soll / dessen Wir Euch versichern / und Euch auch sonst mit Churfürstl. Gnaden wohl beygethan verbleiben. Gegeben im Haupt-Quartier zu Essringen, bey Nötredame de Lombeck den $\frac{8}{18}$. Septembr. 1690.

Friderich.

E. DANCKELMANN.

occasionem & sicut satis superque agnoscimus, quantum praesentia tua Francofurti famam & frequentiam Academiae hujus auctura sit, ita Nos tam clementi voluntate erga te tuosque simul fore persuasum tibi habere poteris, ut te hanc vocationem suscepisse certe nunquam penitere poterit, quod hisce tibi asserimus, gratia Nostra Electorali te ulterius prosecuturi. Dabantur in castris Essringae ad fanum Beatae Virg. Lombecensis d. $\frac{8}{18}$. Septembr. 1690.

FRIDERICUS.

E. DANCKELMANN.

Hisce Noster, gravissimis de causis annuit, utque voluntati Serenissimi Electoris, munificentissimi Musarum Viadrinarum Nutritii satisfaceret, Anno MDCXC. mense Novembri ad novas has functiones in Academia Francofurtana suscipiendas, Trajecto Batavorum cum universa illustri familia discessit, permittentibus quidem Illustrissimis Ordinibus, sed ægerrime dimittentibus, qui oblatas sibi à Brandenburgico partes, semel iterumque ac tertium deprecabantur. In itinere Marchiam versus, eo usus est honore, ut potentissimo Electori FRIDERICO, cujus summa humanitas tot sibi jam olim experimentis cognita erat, humillime se sifteret, ab eoque promissiones clementiæ & benevolentiae singularissimas impetraret. Muneri itaque huic destinatus in Decembris primordio ejusdem anni muros Francofurtensēs appropinquavit, solenni que pompa quorundam Universitatis Procerum & frequentissimo generosorum

Trajecto
discedit.

Adventus
in urbem,
ubi magnifice
excipitur.

rum ac nobilissimorum Academiae civium, qui ad milliarem unum obviam facti, comitatu in urbem introductus, in eadem que d. VII. Decembr. ingentibus faustissimisque plausibus receptus fuit, qui insuper gaudium commune solemniter exquisitoque concentu Musico, oblato simul eleganti carmine gratulatorio pulvinari holoserico imposito, *Advenæ Excellentissimo* approbarunt. Natio quoque Bremensis, tunc in memorata Musarum sede Studiorum gratia degens, ob felicissimum adventum, *Conterraneum illustrem*, sequenti excipiebat inscriptione:

Bremensium gratulatio.

* *

*

Festos solvamini in plausus Musæ,
FRIDERICUS III.

Musarum & Bellonæ compendium
inter ferventia Martis studia,
artes adhuc cogitat,

Atque dum augmenta, literis suppeditat,
nova iisdem ornamenta circumdat:
Gravissimis bellis implicitus,
aliud ignorantia, indicit certamen.

Nec ignarus
id adversus inscitiam præstare eruditos,
quod adversus immanitatem strenui.

Aperit utrisque
disparis exercendæ virtutis haud dispares carceres.

Novum miraculum!

In contubernium Martis, Musarum assumuntur curæ,

Ne fileant inter arma leges

Apollinis delubris de Mystis prospicit,

Dum Jani templum claudere ipsi haud licet.

Ut, dum *Princeps* Marti operatur,

e

Hei-

Fata & Merita

Heliconis operæ, nihilo segnius procedant,
Latos tolle vultus *Marchia!*

Pro Marchicis Musis præcipue vigilat,
qui pro omnium salute excubat *Princeps*,
Qui, pacem tibi ut pareret, nupsit Bellonæ,
atque confligente bellis Europa,
ne scintillas *Marchia* sentiret,
Sibi quietem invidit, Tibi quam daret.

Beata Secula!

Patriæ Parens, literarum Parens est,
et ideo literarum, quia patriæ.
Ornat Princeps, qui formant cives,
dignoscit ingenia, qui fovere potest,
et suam gloriam literarum honore metitur.

Vos vero *Athenæ Marchicæ* tripudiate!

Et vobis armata Pallas est,
quæ, dum *Ægida* quatit in hostes,
ornamenta addit studiis.

At pro noctuis Aquilas,
pro fictitii Jovis cerebro Serenissimum sanguinem
ostentat,

Et cum in ferreo seculo, oleæ haud proveniant,
nisi quæ Herculi clava dent,
ex armis palmas, ex literis laurus
quærit immortales.

Plaudite ergo *Musæ Francovadana!*
sub *FRIDERICO WILHELMO*
restituta Academia

sub *FRIDERICO III.* summum attinget decus.
Martis manubias Musis vestris sacravit,

MA-

Henrici de Cocceji.

MAGNUS PARENS;
Inter acerrima belli studia,
de Musis vestris cogitat
Non minor filius.

Quomodo Marones vobis deerunt?
qui in Augusto ipso Mæcenatem habetis!
Recesserit non ignobile Pindi hujus lumen,
tenebræ timendæ non sunt,
dum ipse Princeps de luminibus curat.

Substituit
CELEBERRIMO STRYKIO, non minus *Celebrem*
COCCEJUM,

Illum *Amico Principi* concedit,
Hunc ab *Amica Gente* recipit,
Habent & literæ suas vices,
vertitur scena, mutantur actores,
qui in alio virtutis suæ theatro eandem agunt personam.

Interim veneramur
judicium *Summi literarum Statoris*,
quo stante, Musæ nostræ cadere non possunt,
qui tam ingens studiorum ornamentum,
felicitatis nostræ instrumentum esse voluit.

Miramur munificentiae ingenium!
Alibi indictiones novas Mars exigit,
hic novis congiariis Musæ excitantur.

Vidit armari *Tē patria*,
ne inermis causæ justitiæ Gallo ludibrium fieret;
Maluisses re probare, quod eras nomine,
sed memor *FRIDERICORUM* esse
nec provocare bella, nec timere.

Præoptasti generosa pericula suspectæ tranquillitati,
atque nocendi facultatem eripere tentasti,
cui voluntatem eripere nemo potest.

Repressisti flammam primus,
in qua opprimenda, Germania omnis laborat.

Victas urbes, victimas sacraſti Famae,
cui dum linguas moderatio tua adimit,
pennas addidit.

Quas fatum dein *Belgium* tuis stetit motibus,
et gravem, quæ imminere videbatur, tempeſtatem
Brandenburgica ſerenitas inducta diſſipavit,

Oſtenditque in *Te Germania*,
et ſe *Fabios* poſſe parere.

Interim, *nominiſ* grande *omen* tueris,
dum gravi bello fidam pacem quæritas,
Et media inter arma

Septentrionem prudentia exarmas,
curasque de pacis artibus haud dimittis,
cum belli curas in animum admittis.

Felices Muſæ tali Principe!
qui proſpicere literis poteſt, dum eas reſpicit,
ipſasque reſpicit, ut proſpiciat.

Qui providet, ne deſint, qui doceant,
ne Muſis unquam deſint, qui diſcant.

Te vero, *COCCEJE CELEBERRIME*,
gratulamur illapſum oculis,

quorum in animos pridem deſcendiſti,
Fama notum antequam facie.

Suſpicimus ingenitum ad bonas artes genium,
quas docendo efficis meliores.

Primum

Primum *Tibi* principium cultura ingenii,
inde tuum ita coluisti,
ut dignus viderere, qui colere aliena

Heidelbergæ

apud DUOS ELECTORES

Themidos Consiliarius & Sacerdos,

ea prudentia & fide

et docuisti justitiam & administraſti;

ut *Successorum* ſemper in gratiam ſuccederes.

A *Tertio* ægre dimiſſus

Occidiſti *Palatinatui*, ut *Belgio* oriteris,
magnorum ingeniorum ſedi & theatro.

Hic diu optatus antequam accederes,
cum famam doctrina

non impleres tantum, ſed excederes,
recedere non ſine eorum dolore potuiſti.

Interim vident,

ſe ſibi haud auferre;

quæ *Amiciſſimo Principi* offerunt,

nec negare ſe poſſe ornamenta ſua *Heroi*,
cui ſalutem debent.

Tu vero

ad *Athenas* has *Marchicas* vocatus

SERENISSIMI ELECTORIS voluntatem,

atque ad mercatum bonarum artium huc con-
fluentium ſpem fruſtrari noluiſti,

ne uſquam *Muſis* deeſſes,

quibus poſſis prodeſſe,

Interque *Conſiliarios tanti Principis* receptus
literarum & publicæ rei orbi

Fata & Merita

denuo subdidisti humeros;
Ita consulturus *rei Brandenburgicae*,
ne *Athenis Marchicis* consulere desinas,
quarum curam ipse *ELECTOR*
praesens praesenti clementissime commendavit,
Salve igitur *verus Musarum parens*,
quia verus filius!
vive ter felix,
quia literarum felicitatem Tuam deputas!
Effloreat altius *Academia!*
virtutis & eruditionis Tuæ flore addito,
Des aliis, quæ *Tibi* non adimis,
et ex larga doctrinæ semente
gloriæ & immortalitatis messem colligas!
Ita gaudebit merito *Brema*,
DUOS se COCCEJOS
non *URBI* sed *ORBI* peperisse.

* * *

Oratio in-
auguralis.

Cui Pro-
gramma
premittit.

Ut igitur à Potentissimo *Brandenburgico*, ad professionem juris primariam evocatus, demandatam sibi provinciam more majorum solenniter auspicaretur, ita d. 24. Decembr. orationem inauguralem DE FELICITATE ORBIS A ROMANIS SUBACTI publice habuit, præmissa ideo peculiari Programmata auspicali, quo fata Jurisprudentiæ perquam nervose enarrat *Divus Noster*, *cujus veram disciplinam atque scientiam in nulla Republica nisi Romana inventam & exultam fuisse asserit; mirandum enim esse civitates Græciæ præcipuas, licet optimarum artium studiis & sapientissimorum hominum proventu, quondam inclaruerint, plenariam juris artem nec excogitasse, nec elaborasse. Quin & exiguum, spatium videri, quo apud Romanos ipsos caste integreque hac prudentia*
tra-

tractata fuerit. Licet enim Dionysius Halicarn. Romulum ob legum ab illo conditarum æquitatem & honestatem commendat tamen tunc temporis nondum constituta fuit juri disciplina. Exactis deinde Regibus maxima quidem Legum XII. Tabb. fuit auctoritas, quas etiam Crassus apud Cicer. immodico elogio omnes Philosophorum Bibliothecas superare gloriatur, sed eas à Jurisprudentiæ perfectione longissime remotas fuisse, ex eo manifestum, quod mox novis legibus sublata & Prætorum edictis emendata, insuperque interpretatione prudentum illis opus fuerit, à quibus juris ars paulatim composita, teste Pomponio. Hæc vero fuisse tempora illa, quibus divina Jurisprudentia in orbem producta, omnesque ambiguitates ex fontibus ejus decisa fuerint, postmodum vero illam incepisse bebescere, nimirum

1. Ob dissidia & scrupulosam diligentiam sectasque prudentum, quod vulnus maximi Imperatorum frustra sanare an-nixi sunt. Gloriarum quidem Tribonianum de juris consummata & perfecta Prudentia, dum lex addita, ne ex Autorum, sed ipsius Imperatoris sententia fragmentorum juris Interpretatio sumeretur, sed dissimulari non posse, quantum profuerit Justinianus compilando jus vetus, tantum eum nocuisse constituendo novum, dum Constitutiones ejus cum ratione reliqui corporis non cohererent, & partim nulla, partim vana ratione constant; & hinc tam facilem, tamque quotidianam mutationem juris ortam fuisse.

2. Longe vero funestiorē sortem hanc prudentiam exper-tam fuisse, dum relicto plane jure Doctorum opiniones cum im-mensa allegationum serie nullo judicio, nulla juris peritia conge-ri cæptæ sunt.

3. Perfunctoriam illam docendi rationem multum obesse, dum hodie Doctores facilitatis & placendi laudem nimium affe-ctantes jura Compendio non tradunt, sed mutilant, & præcipua quibus difficultas aliqua insidere videtur, omittunt.

4. Maximam denique juris pestem esse, illam temeritatem provocandi ad legum desuetudines moresque contrarios, unde, cum de iis plerumque parum constet, jus omne incertum du-biumque reddatur, atque ad judicum arbitria redigatur, quo-
rum

rum alii morum allegationes facile sequuntur, alii merito rejiciunt, donec, quod difficile est, rite probati fuerint. &c.

Atque in hac alma Musarum sede, *Noster*, omne reliquum vitæ tempus, insigni cum nominis sui fama sorte sua contentus exegit. Aggrediebatur statim præterlapsis Januarii Calendis anni MDCXCI. Jus Gentium, Publicum & Pandectas, in his primo *Struvii Jurisprudentiam forensẽ*, post *Lauterbachianum compendium* secutus, in illo *Grotium de Jure Belli ac Pacis*, adeo, ut exponenda exponeret, emendanda emendaret, supplenda suppleret, idque vel viva voce, vel ubi opus foret calamo quoque excipienda traderet, atque Doctorem ageret ad omnes juris partes paratum. Progrediebatur ad Prælectiones Feudales, ex quibus *Hypomnemata Juris Feudalis* * anno MDCXCIII. primum edita, post sæpius recusa concinnavit, quid in his præstitum fuerit singulare, omnes norunt, qui compendium illud modo inspexerunt; Non negat in *præfatione primæ edit.* male quibusdam audivisse hoc seculo compendia; At, scilicet superficiaria illa, quæ trita tantum omnibus & generalia tractant, potiora vero omittunt; fateturque insimul, se totum opusculum inter ipsa prælectionum impedimenta compositum, aliis, nihil sibi scripsisse. Publicis Lectionibus, Jure Canonico potissimum occupabatur pro muneris ratione, utque ejusdem usum, quem in foro hodierno habet, doceret, quamplurimum erat intentus. Prælegebat itaque publice *Desseli Erotemata Juris Can.* quæ ob concinnum juxta Decretalium libros digestum ordinem, quam optime placebant, adjuncta loco Libri II. & V. *Introductione Stryckiana ad præxin forensẽ*, & *Brunnemanni Processus inquisitorii formula.* Methodo in omnibus utebatur ad erudiendum aptissima & perspicua, ita ut intricatissimas Juris materias spinosissimasque DD. controversias tam feliciter extricaret, quæ diffusa, colligeret, supervacua refecaret, ut unusquisque, qui eum sequebatur, tam vastum Juris Oceanum absque labore magno tra-

Prælectiones
privatæ.

Hypomnemata
feudalia.

Lectiones
publicæ.

* Spectant huc Consultissimi *Frid. Herm. CRAMERI Conclusiones Juris Feudalis* anno MDCCXX. editæ; in quibus ex ipsis Feudotum fontibus celeberrimisque hujus Studii interpretibus, illustriores *Hypomnematum Coccejanorum* quæstiones ventilantur, ac rationibus perspicuis deducuntur.

tranatare potuisset; Inde quoque statim tam frequens nactus est Auditorium, ut aliorum, qui ante eum in Academia maximo cum applausu docuerant, COCCEJI que demonstrationes initio vilipendere videbantur, invidiam non effugeret, id quod Lestionum Grotianarum exemplo, nisi propositum nostrum excederet, demonstrari posset. Ut jam de cæteris infinitis laboribus taceamus, de officiis, quæ Studiosæ juventuti, si quando dubitationibus jactabatur, privatim & remotis arbitris præstabat, deque promptitudine obsequii in doctorum juvenum commoda, in quo tamen ipso, plus aliis, quam sibi ipsi satisfaciebat. Verbo: Prout Heidelbergam & Trajectum, inclytas Universitates, ingenio ornare cœperat, sic Francofurti indies magis augere rem literariam ac Auditores florentissimos sacræ Themidis disciplina perpolire perseveravit, ita ut *Gloriosissimus Elector* idoneum judicaret, quem in lucem produceret clariorem, ac majoribus rebus admoveret.

Auditorium frequentissimum.

Eodem anno MDCXCIII. d. xxii. Decembr. XI. Candidatos Themidos, interque hos, Virum Perillustrem ac Excellentissimum, JOHANNEM HENRICUM de FUCHS, *Jurium olim in alma Viadrina Professore ordinariū, jam S. R. M. Prusicæ Consiliarium intimum, ac Camera Justitiæ Marchicæ Præsidentem*: nec non illustrem Dominum JOHANNEM RICKERS, *Ducatus Cliviæ Consiliarium Regiminis intimum*, ut & virum prænobilissimum, JOHANNEM PETRUM THIELEN, *Civitatis Francofurtanæ Consulem ac Professore Juris Extraordinarium celeberrimum*, in Doctores Juris promovit, quo publico renunciationis actu orationem doctissimam de *Progressu Juris Europæi*, in celeberrimorum Procerum Universitatis confessu, solenniter habuit, quia vero valetudinis ratio tum quam maxime obstitit, quo minus integra, sed tantum dicendorum summa recitari potuerit, multorum rogatu, eam denique typis divulgari passus est.

Actus promotionis solennis DD.

Anno subsequente MDCXCIV. ad diem xxii. Novembr. Principem Regiam MARIAM THERESIAM, JOHANNIS III. Poloniarum Regis filiam, cum thalamo omni ex parte fecundo, MAXIMILIANI EMANUELIS Bavaricæ Electoris Potentis-

Sponse Bavaricæ gratulatur.

tissimi socianda, urbem Francofurtanam transfret, Universitatis senatusque Academici nomine, perquam comta allocutione gratulabundus excepit.

Confi-
liari-
us Aulicus
Brandenb.

Qui itaque Trajectum Batavorum concessurus, Consiliarii Regiminis Electoralis Palatini honore à Gloriosissimo Electore ornatus, imo majoribus voluntate optimi Principis, destinatione Aulæ, & judicio bonorum omnium, tum fama sua & meritis virtuteque Potissimum in Palatinatu supererat, eundem, non ita multo post, anno MDCXCVIII. illustribus *Consiliarii Aulae Brandenburgicæ* insignibus, à FRIDERICO Electore rursus recipi fas erat.

Hypomne-
mata Juris
Rom.

Nec sterile id alias tempus fuit, editis à *Nostro* Scriptis; Divulgato enim absolutissimo illo *Juris Publici compendio*, de quo infra pluribus differetur, dicto demum anno *Hypomnemata Juris ad seriem Institutionum Imperatoris Justiniani* in publicum edi curavit, in quibus summa Juris Romani capita juxta seriem Institutionum, adjectis hinc inde supplementis, additoque usu forensi, nec non legibus & Autoribus practicis in margine adductis, ita succincte recenset, ut ne verbum quidem otiosum reperiatur, & nulla tamen ex brevitate oriatur obscuritas, adeoque doctissimum, hoc opusculum ad docenda discendaque Juris Romani principia, aut ad eadem breviter recolenda, aptissimum existimetur.

Filiis pro
gradu Do-
ctorali di-
sputantibus, præ-
sidium ac-
commo-
dat.

Cæterum, res plena voluptatis, ac lætitiæ HENRICO *Nostro* contigit, quæ, dum non facile sui similem habeat, nimis memorabilis est, quam ut silentio obruatur. Cum enim anno MDCXCXIX. sub finem Decembr. *duobus illustribus filiis*, multis nominibus laudatissimis, JOHANNI GOTHOFREDO & SAMUELI, huic de *Unico, vero & adequato Juris Naturalis Principio*, illi de *Testamentis Principum* solenniter disputanti præsideret, hique exquisitissima hæc themata inauguralia, antequam iter per Belgium in Galliam & Italiam pararent, summo cum applausu frequentissimi Auditorii, sub *Magno Parente* gloriose propugnarent, hoc illustre negotium nunquam antea visum, carminis Heroici Principi *B. Michaëli Rhodio*, J. U. D. & Pandectarum in Regia Viadrina Professori Publ.

Publ. Ordinario anſam dedit, lætitiã ſuã atque amorem ef-
fuſiſſimum, hac gratulatione Poëtica teſtandi :

Inſignia utriuſque militiæ,

quibus

Viri Illuſtris, Magnifici & Excellentiſſimi

Dn. HENR. COCCEJI, Conſilarii Aulæ Brandenbur-
gicæ ſplendidiffimi &c. Prolem tergeminaſ MARS & THE-

MIS pulcherrime condecorarunt d. 21. Dec. 1699. cum ter

felix Genitor duobus minoribus natu filiis ſolemniter

diſputantibus præſideret, tenui calamo gra-

tulabundus prædicavit

Michael Rhode, D.

* *

*G*entibus Europe Saturnia ſæcla redibant,
Et rigidas belli portas compagibus arctis
Fœdere vicenni Concordia clauſerat icto;
Cum Mars ſanguineus, ſua tela reponit ad Iſtrum,
Et genibus nitens, hauſtis de gurgite lymphis,
Abluit immundum miſto ſudore cruorem,
Et feſſos artus leuiore indutus amictu,
Menſorum funes, & rafe haſtilia virgæ
Accipit, ut fines dirimat, diſtinctaque Regna
Terminet, ambiguos partitus limite campos.
Trajicit incultas ſylvas & flumina lata,
Et tumidos ſuperat montes, vallesque profundas,
Atque fodit ſulcos, aut ſtipite dividit arva,
Vel gravibus ſaxis populos diſcriminat ambos,
Qui gemine parent Aquilæ, Lunæque bicorni.
Tum conſcendit equum, quem Thrax generaverat altis
Iſmarus aut Rhodope ſcopulis, rebusque peractis
In Regno Illyrico, Turle atque Boryſthenis undas
Luſtrat, & edicens, ut Caminieca pateſcat,

f 2

Et

Fata & Merita

Et veterum subeat Dominorum mitia sceptrā,
Sarmatico Regi palmas non sanguine turpes,
Non cade horrificas, sed blanda pace redemitas
Portat, & æternas attollit ad æthera laudes
Magnanimi Herois, cujus fortissima dextra
Herculeos nervos & inexpugnabile robur
Vincit, & indomitos muros, & abenea claustra
Rupta sub Imperium redigit sine clade suorum.
Hinc Peloponnesum Cretæque petivit Oaxen,
Et Venetos definit agros, & ubique tumultu
Sopito, positis diros incudibus enses
In Cereris rastros conflat falcesque recurvas;
Cumque domos Pandionias, bimaremque Corinthum,
Et juga Parnassi, loca decantata Poëtis,
Diræasque videt Thebas. Amphionis arces,
Lætitiæ exultat, Turcas hinc esse repulsos,
Et Themis alloquitur propter Cephissidas undas:
Filia Telluris, Legum antiquissima Mater,
Bella silent, hominesque ferunt tibi thurea dona,
Et pacis pia jura colunt; vinctusque catenis
Murmurat insolitis furor horridus ore maligno.
Ipse salutatum venio Tua Numina Mavors,
Et Tibi confiteor, jus esse potentius armis.
Olli subridens, & Majestate decora,
Dictis respondens, solido de marmore templum
Monstrat in adverso tumulo, ducitque sequentem
Cana Parens Æqui, non exorabilis auro.
Ante fores fas atque nefas sacraria Divæ
Circumstant vultu suspensæ, & turba reorum,
Sordibus illachrimans, mistusque nocentibus insons,
Auxilium implorat. Mendax vulpecula frontem
Fingit, & in caudam demittere pallia tentat.
Tot scelerum illudunt facies, larvisque dolosis
Disimulant maculas, Superos si fallere possent.
Regina adventu valvæ se sponte recludunt,
In quarum dextra pœnarum mille figuras

*Pinxerat egregius Zeuxis, vel Cous Apelles,
Sisyphium lapidem, tortosque Ixionis angues,
Et Pelopis patrem, qui poma fugacia captat,
Et Tityon, cujus jecur immortale rapaci
Vulturis exeditur rostro, & divellitur ungue.
Altera virtutes & premia casta piorum
Vallibus Elysiis, & candida limina cæli,
Tergeminosque Patres monstrat, de sanguine quorum
Judeus populus venit innumerique nepotes,
Omnes cæcicolæ, puraque in luce videndi,
Vestibus induti niveis, letumque canentes
Æterno pœana Deo, qui judicat orbem
Legibus ex æquis, fandi memor atque nefandi.*

*Parietibus tristi calatam ærugine pugnam
Suscitat immani Bellona accincta flagello,
Verberaque ingeminat populis, collisæque tecta
Excudit, & facibus messes hostilibus urit.
A parte adversa tranquilla modestia pacis
Fronte sedet placida, camposque serenat & urbes,
Et Cereri valles, collesque ministrat Jæccho.
In medio solium Themidis sublime coruscat
Auro magnifico, gradibusque assurgit eburnis,
Cujus vindictam Siculi tremuere Tyranni,
Cujus ut aspectum fugiat pœnasque severas,
Fur nocti metuens frustra se immiscuit atræ,
Et thalami velis frustra se involvit adulter.
Desuper humanam monet aurea litera gentem:
Discite justitiam; cernit Deus omnia vindex.*

*Altius erigitur Marpesi ex caute columna,
Ad quam sella Deæ dorso inclinata quiescit.
Hinc sacra dependet veraci examine libra,
Que docet imposita levitatem & pondera causæ,
Et quam Justitiæ sententia ferrea signat:
Cuique suum. Nil dona valent, nil purpura Regum.
Non odio, nec amore Themis corrupta movetur.
Nec flectenda minis, nec fœmineo ululatu:*

Fata & Merita

*Sed recti justique tenax, & conscia veri,
Cuique suum tribuit, vultumque tuctur & ora
Principis Augusti, cujus sub imagine laudum
Confluxit series in saxo expressa perenni:
Sceptrafer Elector, FRIDERICUS TERTIUS Heros
Maximus etatis nostræ, Divinitus orbi
Missus, ut Astræam revocaret ab æthere summo,
Custos Justitiæ, cujus moderamine regna
Florescunt Themidis, qui Legum altaria firmat,
Et quem tam patriæ Patrem, quam Juris & Equi
Jam Themis appellat, quam Brandenburgica tellus,
Partibus hæc imis statuæ conscripta leguntur.
Ad faciem vero totius regula vitæ
Addita, Cuique suum, verbis comprehensa duobus,
Quam Themis obtutu defixa observat eodem,
Cum sedet in solio, turba stipante reorum,
Et vitam innocuo tribuit, mortemque nocenti.
Fumat in arcanis templi penetralibus ara,
Atque sacerdotes, Procul, ô procul este, profani!
Clamant, Justitiæ ne vos sacer ignis adurat.
Illic Romulæ vasto molimine leges
Incise tabulis hærent, descriptaque jura,
Quæ populos omnes frenant utroque sub axe.
Illic stant Parii lapides, spirantia signa,
Præcones magnæ Themidis veteresque novique,
Et Draco Cecropius, Lacedæmoniusque Lycurgus,
Et quos Roma potens, & quos Germania novit.
Atque inter primos imbuta colore recenti
COCCEJI effigies radiat, fortisque Gradivi
Atrahit errantes oculos, qui talia fatur:
Hic Vir, hic est, Tuus Interpres, Tua maxima cura,
O Themis, cui propter Viadrum Tua Numina parent,
Quique Juventuti tenebrosa enigmata Legum,
Et Tua Marchiacis oracula solvit Athenis,
Qui pacis bellique simul discordia Jura
Conciliat, populosque docet, quid Amicus & Hostis*

Exigat

Henrici de Cocceji.

Exigat officii, Leges hominumque Deique.
Agnosco ingenuam faciem. Quantum instar in ipso est!
En pietas, en prisca fides, & juris imago
Indomiti, quod nec gladios, nec spicula pallet.

In Patre purpurei restant vestigia vultus,
Martia quo Proles ejus, cum tendit in hostem,
Scintillare solet. Juvenilia pectora nati
Spiritus patriis, patria virtute calescunt.
Et quantum Genitor fama super aethera notus,
Per leges artesque tuas celebratur in orbe,
Tantum Progenies per castra undantia bello
Nominis acquiret. Jam Caesaris inclytus aula,
Atque per Hungariam pulchros COCCEJUS honores,
Advena sit quamvis, & religione paterna
Displiceat, meruit, decorataque tempora palmis,
Omnibus antetulit spoliis, faustusque vocatur
Afflictae tumido classis Servator in Istro.

Nunc reticent litui, vaginaque continet ensem,
COCCEJique mei fortissima dextera nullam
Materiam reperit laudum, sed in otia nolens
Mergitur, & tristis galea rutilante capillos
Expedit, ac mallet gravibus sudare sub armis,
Quam validos artus molli discingere luxu.
Mox ventura tamen pacem populabitur aetas,
Et seges horrescet mucronibus aspera strictis.
Quippe ita Parcarum fatalia stamina volvunt.
Tum fera COCCEJUS certatim in praelia cinctus,
Passibus intrepidus in flammam & in arma feretur,
Quo fremitus, clamorque virum, clangorque tubarum,
Teliferaque acies, animosaque gloria ducunt.
Ut Leo Marmaricus, quem praedae immensa cupido
Suscitat ex latebris, pecora inter inertia sevit,
Nec timet Hyrcanas tigres, Indosque elephantos,
Nec venatrices pharetras, nec lucida tela.
Sed ruit, atque toros fulva cervice comantes
Excutit, & pedibus villosis spargit arenas,

Vul-

Fata & Merita

Vulnificæque fremit pugnae implacatus amore,
Haud secus ille animos armato in pectore volvet,
Et sibi commissas numerosa laude phalanges
Ducet in adversos muros, inimicaque castra
Cæde cruentabit, statuetaque trophæa triumphans,
Quæ neque concursus cæli, neque dura Tonantis
Dextera turbabit, neque cuspide miles abena
Invidus evertet, neque vomere bardus arator.
Hæc, si COCCEJUM Tibi compellare Parentem
Contigerit, referas, nec me præsagia fallent.
Nec tamen interea te bella instantia lædent.
Hos deponere metus. Nam florentissima semper
Regna Tuas Leges Brenni ditone manebunt
Pacifici, cujus Gentes in pace senescunt,
Quamquam confines populos prosternat Erinnyis.
Sic ait, atque Themis complexibus ambit amicis,
Oscula delibans Divæ, & delubra Sabæo
Intima thure adolens. Tum quæ peragenda supersint,
Quove viam rapiat, taciturno corde volutat,
Et conscendit equum levibusque citatior Euris
Per tenues auras, ceu nervo impulsæ sagitta,
Quæ celeri ingentem diverberat æra lapsu,
Fertur ad Herculeum pelagus, sitientibus Afris,
Qui circa Centam longa obsidione morantur,
Lethiferas cades cumulataque funera portans.
Sed Themis inventrix legum, jurisque magistra
Ad docti Viadri raptim proficiscitur oras,
COCEJique sui percussa cupidine templum
Intrat Juridicum, nullo splendore superbum,
Non nitidis auro trabibus, non marmore fulgens,
Sed nudum ac simplex & simplicitate verusta
Ingenitaque placens. Ibi tum COCCEJUS in altis,
TÈR FÈLIX GENITOR, Natos eduxerat ambos
Justitiæ cathedras, Themidisque altaribus ambos
Consecrat, ut natu majorem tradidit armis.
Non Divæ ulterius vim dissimulavit amoris.

Henrici de Cocceji.

Irruit in collum, circumfusisque lacertis
Pressat, & alloquitur: Sedes Academia jactet
Julia Magnificas Musarum, & Brema Visurgi
Pervia, velivolumque bibens Antverpia Scaldim.
Omnibus hoc templum magis est venerabile, ripis
Impositum Viadri, quia non COCCEJUS in illis
Conspicitur, sed in hoc. Nec plus heroica laudet
Orphea Calliopea suum, quam Te Tua Mater.
Ille quidem potuit tacitos inflectere Manes,
Flebilibusque modis immitem Acheronta movere,
Et tristes Erebi Divos Stygiamque paludem
Juratam Superis cythara mulcere canora.
Non tamen Eurydicen miseram revocavit ad auras
Aethereas, nimio sed victus amore renatam
Restituit tumulis, umbrasque prehendit inanes.
Tu vero Eurydicen diuturna morte perentam,
Eurydicen fato meliore Tuamque meamque
Ex tenebris, longoque situ, mæstoque sepulchro
In vitam lucemque trahis. Tu saxa ferasque
Voce Tua dicis, fontesque & semina legum
Demonstras, Juvenum cætu admirante docentem.
Se tibi reclusit natura, suosque recessus,
Et quicquid veteres ignoravere parentes,
Ante Tuos oculos statuit, Tua gloria stellas
Mensque Deos adiit. Tua publica Jura leguntur.
Qua mea Regna patent. Illis Germanica tellus
Sola quidem fruitur, sed non complectitur illa.
Nam procul ad Batavos, divisosque orbe Britannos,
Et trans aërias Alpes ad mœnia Romæ
Mittuntur septemque petunt subjecta trioni
Regna, Hyperboreas glacies; finesque vetusti
Teutonis expediunt, & quo fundamine moles
Romani Imperii constet subnixæ, recensent.
Quin Gallorum etiam perhibent jusfisse Tyrannum
Tam pulchrum in patriam scriptum convertere linguam,
Ut, cur Germanus Gallo se præferat unus,

Fata & Merita

Explorare queat, Teque ex interprete discat
Finitimam gentem. Plaudit Viadrinus Apollo,
Seque Heliconiadum cantat decus esse sororum,
Te decus esse sibi. Prius & cadet astrifer axis,
Quam Tua fama cadet. Prius & Chaos atque ruina
Australem Arctoumque polos, miscebit in unum.
Quam mea templa Tuos obliviscuntur honores,
Unda Palatini Viadro Te livida Nicri
Invidet, & Rheno Belgarum opulentia sordet,
Postquam Trajecti Te dimisere Camæna
Nec juga solius Pindi nemorosaque Tempe
Voce Tua resonant: Sed Te sublimior Atlas
Consiliis Superiorum adhibet. Te maxima Brenni
Aula rogat, dubiis quæ sit sententia rebus.
Nam Tua vox Themidis vox est, Tua vita piorum
Arx & praesidium, terror cladesque nocentum.
Nec Tibi suffecit, factis extendere famam,
Sed Natos etiam generasti ex Coniuge pulchra,
Qui sint virtutis simulachra expressa paterna,
Atque Tuæ reparent prima incunabula gentis,
Et veteres imitentur Avos bellique togæque
Artibus illustres, sed religionis amore
Passos exilium, cœlique cupidine victos,
Ut neque Nobilitas, neque pondera divitis auri,
Nec domus atque Lares retinere aut flectere possent.
Horum magnanimo Tua pectora sanguine spumant,
Et Tua Progenies stimulis ignescit adacta,
Ut generosa Aquilæ soboles, pullusque Leonis,
Nec nidi patris, nec originis immemor alta,
Illa premit volucres, Pænorum hic acer in arvis
Territat immani fremitu genus omne ferarum.
Ingens Danubius primi Mavortia Nati
Brachia lustravit. Binos nunc ipse minores
Spectas in cathedris certamina docta cientes
Uno eodemque die, quod nondum Academia vestra
Per duo, quæ ferme superavit secula, vidit,

Henrici de Cocceji.

*Illi Mars rigidus cælum immortale sponondit,
Hos ego Diva Themis fama decorabo perenni,
Atque Tui similes reddam. Comitabor euntes,
Cum pulchram Italiam Romæque palatia visent.
Et ponam invictum circa præcordia robur,
Quod neque vis atrox moveat, neque blanda voluptas,
Inque Tuum amplexum multa cum laude reversos
Præsidio Legum, patriæque sacro tuende.
Sic Tua posteritas fama & virtute parentem
Illustrem æquabit. Sic admirabitur omnis
Ætas COCCEJOS ex Te genitore creatos,
Militia insignes utraque, foris que domique
Conspicuos duro thorace, togaque fluenti,
Legibus armatos, armorum luce decoros,
Fulmina sanguinei belli, Ornamenta que Pacis.*

* *

Confecto itaque summa alacritatis laude per exterarum regiones itinere, COCCEJUS tum demum actum ipsum promotionis mediante concessione Regia aggressus est, & XII. Candidatos partim muneribus amplissimos, partim inveterata eruditionis & experientiæ fama conspicuos, interque hos Perillustrem filium SAMUELEM, tum *Professorem Juris Ordinarium celebratissimum* primo loco nominandum, nec non viros prænobilissimos ac celeberrimos, HENRICUM SIMONEM PLESMANNUM, olim *Histor. & Politices*, jam *Pandectarum in alma Viadrina Professorem Ordinarium*, & CHRISSTOPHORUM ERDMANNUM NEANDRUM, *ibidem Professorem Publicum Extraordinarium ac causarum Patronum dexterrimum* d. xv. Cal. Februar. auspicii Regni Prussici sacro MDCCIII. ad summos in jure honores admittit, omnesque Juris Utriusque Doctores ex alta Cathedra, in Templo publice renunciavit. Quo caractere tum ornato auctoque Excellentissimo filio *Ter felix genitos* in superiori cathedræ parte paternum osculum primus impertivit, mitramque Tyrio colore imbutam, capiti ejus imposuit, nec non pollicem auro purissi-

Actus promotionis DD. solennis:

mo condecoravit, evidentissimo exemplo; fortes creati fortibus, nec nisi Illustri Promotori, Venerando Præfuli, generosam prolem convenire.

Regi gratulatur de successu corona,

Paulo ante, vix ortum erat Seculum XVIII. cum potentissimus Elector Brandenburgicus FRIDERICUS III. fauito lætoque omine XVIII. Januar. MDCCI. Regiomonti, Rex Prussiae crearetur, apicemque summi honoris ac felicitatis maxima cum pompa in Augustam domum suam inferret, quo inaugurationis Regiæ illustrissimo negotio, cum de felicibus Regni novi auspiciis piis votis omnia personarent, COCCEJUS Augustissimo Conditori, ex Prussia reduci, Universitatis Senatusque Academici nomine, prout & reliquæ Provinciæ Regiæ per Deputatos fecere, cultu religiosissimo *Berolini* gratulatus est.

Hæreditas Arausio-nensis,

Inprimis vero, ad insignem COCCEJI honorem spectat, quod Rex Augustissimus, ministerio ac calamo suo exercitissimo in maximis, secretissimis ac spinosissimis negotiis auspicato plurimum successu usus sit, quorum recensio cum ingens volumen exigere videatur, instituti tamen præsentis methodus, paucis unicum attingere jubet. Mortuo enim vitissimo GUILIELMO III. Anglorum Rege relicta ab eodem terras, materno jure, ex perpetuo Arausionensium fideicommissio, petebat gloriosissimus FRIDERICUS Prussorum Rex, cui tamen Fœderati Belgii Ordines, nomine JOHANNIS GUILIELMI FRISONIS Auriaco-Nassovii Principis, qui hæreditatem beatissime defuncti Regis ex testamento postulabat, acriter contradixere, ut *Guilielmi Hyacinthi Nassovii* ex Jure Adgnationis, nec non Gallorum in Principatum Arausionensem assertas præteniones, quorum jura valde infirma erant, nunc mittam. Moram cum non patiebatur hæc causa, *Noster* ob illustrem hanc controversiam in Belgio motam jussu Regio anno MDCCII. Hagam Comitum ablegatus est, ut in isto negotiorum Oratorumque totius Europæ domicilio ac sede, Aulæ Prusicæ causam ageret, ejus jura apud ordines Fœderatos contra competitores deduceret, ibique aliquamdiu sedem figeret. Hic campum patientiorem quo ingenium exerceret, invenit, areamque habuit, in qua pro gloria & commodis Do-

Hagam Comitum ablegatur.

mi-

mini sui pugnaret, quod ita strenue tantoque successu ac approbatione peregit, ut repræsentato contra Batavos Jure Præsico divulgatisque Deductionibus * in tantorum officiorum proemium ac remunerationem confecta exeunte anno legatione, ab Augustissimo Rege FRIDERICO, ad dignationem equestrem cum tota illustri familia sua evehctus sive postliminio potius restitutus, ac S. R. Maj. Consiliarius intimus renunciatus sit, clarissimo exemplo ita per virtutem ascendi, laboresque ferre honores, negotia præmia; quod splendidum munus summa cum gloria ac industria indefessa ad beatum usque animam discessum administravit. Quemadmodum vero Auditorium tum vota votis jungebat, & COCCEJO discessuro felix apprecabatur iter, tempestatemque commodam, ita reditum sibi faustum lætunquæ vovit ac ominatum est. Annuit devotissimorum Auditorum precationibus obsecrationibusque beneficium Numen, & *Virum summum* almæ Viadrinæ & familiæ universæ mense Dec. MDCCLII. felicem, salvum ac talem qualem optavere, reducem reddidit. Quam ob causam, dum gratulationibus votisque de felici reditu collatisque ab aula *Nostræ* dignitatibus omnia personant, sic non modo Auditorium, sed universus Studiosorum cætus, suavissimum concentum Musicum omni apparatu instructissimum ad ædes *Nostræ* instituens, carmina adventui & honori ipsius consecrata candido serico inscripta auro fimbriata pulvinari holoserico imposita, brevi comaque oratione per generosissimos coronæ Studiosorum Oratores tradidit. Fuit certe præter illa illustribus Oratoribus humanissime reddita verba illud singulare benignitatis ac ur-

Consiliarius intimus renunciatur.

Gratulationes Auditorum,

g 3 ba-

* Videlicet (1) Information Sommaire touchant le Droit incontestable de *Sa Maj. le Roi de Prusse* à la succession de Son Grand Pere le Prince *Frederic Henri* de Glor. mem. 1702.

- (2) Disquisitio de *Juribus Regiæ Majestatis Borussiae* in Comitatus *Meursensem* & *Lingensem*, cum ratione dominiæ ac proprietatis, tum ratione possessionis nec non deforo hujus causæ 1703.
- (3) Vindiciæ *Juris Regiæ Borussiae* in Principatum *Meursensem* ratione tum dominiæ, tum possessionis; adversus libellum Anno 1705. Belgice editum, 1714.
- (4) Defensio *Juris Regiæ Borussiae* in causa successioneis *Arausionensis*, cum ex Jure sanguinis ac majorum tum ex testamentis Renati *Wilhelmi I.* & *Friderici Henrici* ad *Sereniss. Regem Borussiae* devolutæ; Junctâ responsione ad libellum ex parte *Sereniss. Principis Nassovici* editos, 1714.

banitatis documentum, quod non solum cuncto tempore, quo concentus auditus est, perbenignas eidem aures præbuerit, verum inusitato plane splendore eos, qui vel Comites, vel adjuutores pietatis in COCCEJUM fuerant, liberalissime in ædibus haberi excipique iusserit.

Vocatio
ad aliam
Heidelb. &
Trajecti-
nam.

Adeo ad ripas Viadri splendebat hoc sidus illustre, ut ab illo tempore non solum sæpenumero in alias Academias, imprimis in illa ubi ante fuerat lycæa, Heidelbergam ex ruinis suis belli tumultu factis nuper instauratam, & Trajectum Bavorum, sed etiam in variorum Imperii Principum aulas vocatum sit, propensio autem gratiaque illa singularissima Regia, à munificentissimo FRIDERICO ubivis ei præstita, *Nostro* omne studium alio demigrandi ademit, quod multis testimoniis, nisi huic tractatui sua quoque forma servanda esset, probari posset, qui hoc potius agere promisit, ut COCCEJUM per absolutissimæ vitæ partes in hoc usque tempus paucis breviterque deducat.

Duces
Württem-
bergici stu-
diis incum-
bunt.

Ab aulis
Europæis
consultitur.

Causa Au-
relie-Pala-
tina.

Anno MDCCIII. Serenissimi Principes Oelsnico-Württembergici, CAROLUS FRIDERICUS & CHRISTIANUS ULRICUS, fama Magni COCCEJI permoti, Universitatem Viadrinam, cui quoddam in ea studiorum domicilium figendo, & Magnificentissimi Rectoris vices dignitatemque ter sustinendo maximum decus vita, studiis, indole intulere, celsissima præsentia sua illustrarunt, & in mensem Octobr. usque Anni MDCCVI. ultra biennium solidissima ejusdem institutione usi sunt. Interim à plerisque Aulis Europæis, in rebus maximi momenti & præjudicii, uti non ita pridem in causa valde momentosa à potentissimo quodam Italia Principe factum, Francofurti consultus est, & quia famosissima illa controversia ex parte *Sereniss. Electoris Palatini* circa prætensionem Ducissæ Aurelianensis mediante ejus calamo contra Gallos in favorem Domus Palatinæ * decisa est, operæ pretium erit

* De Successione & prætensione Ducissæ Aurelianensis in Palatinatum vid. Acta Success. Palat. apud Ludolph, *de Jure fem. ill. app. 2.* Pufendorf. *de reb. Frid. Wsh. M. L. 19. §. 13.* Fabri *Staats-Caungley Tom. III. ill.* à Ludwig *Germ. Princ. item deduct. ex utraque parte recitatur.*

erit in *Noſtri* laudem perpetuam hic annectere literas illas honorificentiffime ſcriptas, quibus *Glorioſiſſimus Elector* tranſmiſſo ſimul dono pretioſiſſimo, poſtquam per ultimam quoque ſententiam victor evaſerat, ipſi incredibili benevolentiaꝝ teſtificatione gratias egit:

Von Gottes Gnaden
Johann Wilhelm /
Pfalz-Gräf bey Rhein/ des
Heil. Röm. Reichs Erb- Schatz-
meiſter und Churfürſt in Bayern/
zu Jülich / Cleve und Berg-
Herzog. &c. &c.

Dei Gratia JOHAN-
NES WILHELMUS, Comes
Palatinus Rheni, Sacri
Romani Imperii Archithe-
ſaurarius & Elector, Bavariaꝝ,
Juliaci, Clivia & Montium
Dux. &c. &c.

Literæ
gratiarum
actoriaꝝ Pa-
latinaꝝ.

Unſern gnädigſten Gruß zuvor;
Beſter / Lieber / Beſonderer.
Wir erinnern Uns / was ihr bey
der Uns und Unſern Chur-Haus
ſo importanten Orleaniſchen
prätenions- Sach mit Bezeu-
gung der ſonderbaren von vori-
gen Zeiten her bey euch noch he-
genden devotion, vor Treueifrig-
ſte Bemühung gehabt / und wie
ſtättlich Unſers Churhauses Ge-
rechtſame / einſolglich die Vorſtel-
lung des Unſugs auf Orleaniſcher
Seiten zu dem darauf nachge-
hends erfolgten guten Effect von
Euch ausgeführet worden. Wie
Wir nun Euch davor gnädigſten
Danck erſtatten / und unſere Er-
känntlichkeit gegen Euch und die
Ewige bey Gelegenheit zu bezeu-
gen nicht ermangeln werden; Alſo

*Salutem Noſtram gratioſiſſi-
mam, Generoſe ac dilectæ.
Recordamur optime quantas cir-
ca maxime arduam cauſam præ-
tenſionis Aurelianenſis, que Nos
Noſtramque Domum Electora-
lem tangit, cum pluribus no-
tis ſingularis tuæ, & à priſti-
nis temporibus reſidua devotio-
nis adhibueris operas & quam
eximia ſoliditate Jura Noſtra
Electoralia, exindeque reſul-
tans repræſentatio injuſtitia à
parte Aurelianenſium ad illum
ſubſecutum felicem eventum à
te in medium prolata & dedu-
cta ſint. Sicut ergo indulgen-
tiſſimas tibi referimus gratias,
Noſtramque gratitudinem er-
ga te tuosque quavis data occa-
ſione demonſtrare nullo non tem-
po-*

Fata & Merita

haben Wir Euch auch einiges An-
dencken davon hiebey übersenden/
und zugleich versichern wollen/dasß
Wir euch mit beständigen Chur-
Fürstlichen Hulden und Gnaden
wohl beygethan verbleiben. Düs-
seldorff den 28. Febr. 1706.

Johann Wilhelm

Chur-Fürst. mppr.

Ut

H. von Giese.

In den Königl.ichen
Preuss. Geh. Rath
von Coecji.

*pore allaborabimus, ita aliqua-
le Mnemosynon tibi hisce trans-
mittere, simulque certiozem te
facere volumus, Nos perpetua
gratia & affectu Electorali te
porro prosecuturos. Dabantur
Düsseldorffii, ad diem 28 Febr.
1706.*

JOHANN. WILHELMUS

Elector. mppr.

Ut

á Giese.

Alma Via-
drina: secu-
laria.

Cæterum, cum Anno MDCCVI. Academia Viadrina, Au-
gustissimi FRIDERICI scientiarum propagatoris munificen-
tissimi beneficio, seculum secundum incomparabili felicitate
absolvisset, & novum illudque tertium maxima inusitataque
pompa auspiciatissime cœpisset, die XXVII. April. qua in augu-
stissima præsentia Regis, Regni hæredis, tum temporis Rectoris
Magnificentissimi, serenissimorum Marchionum Brandenburgi-
corum fratrum Rectorum, Aulæ Procerum & Academiæ Ab-
legatorum Summi omnium Ordinum Candidatis distribuendi
honores erant, COCCEJUS ad hunc actum illustrem jam XIII.
Calend. Maji à sacra Regia Majestate Pro-Cancellarius rite con-
stitutus, VIII. Candidatos in DD. Juris promovit, quæ promo-
tionis Doctorum ad Facultatem Juridicam transmissa conces-
sio, ita se habet.

Fri-

Fridericus Dei gratia Rex Borussiae, Marg-
gravius Brandenburgensis, S. R. J. Archi-Camerarius
& Princeps Elector, supremus Princeps Arausionum, Magde-
burgi, Cliviae, Juliae, Montium, Stetini, Pomeraniae
Dux, &c. &c.

Conces-
sio Regia
promotio-
nis Docto-
rum.

Generose, Doctissimi, Consiliarie, dilecti ac fideles; Prout inde-
fesso vestro studio, solertia ac sedulitate Viadrina nostra Uni-
versitas celebris haecenus fuit; ita non potest non hoc Nobis esse
jucundissimum, ac gratiam Nostram Regiam in vos derivare,
cujus, ut reapse vos participes redderemus, secularia Universita-
tis proxime celebranda Nobis dabunt locum, in quibus sacris, cum
solemne sit, summas Academiarum conferre dignitates, atque
plurimis elogiis à vobis humillime commendentur.

Casp. Laurentius Range, Pomer. U. J. L. Adv. Ord. & Consul
Belgard.

Joh. Stephan. Dancko, Advoc. Ord. & Consul Cüstrin.

Sebastianus Buttmann, Adv. Fisci.

Joach. Vangerus, Neomarch, Dicast. Pomer. Oriental. Adv. Ord.

Johann. Sam. Nering, Stargard. Pom. ejusd. Dicast. per Pomer.
Orient. Advoc. Ord.

Joh. Georg. Schmescky, Crosna-Siles.

Joh. Gothofr. Baro, Vratislav. Siles.

Et Joh. Daniel Löper, Stargard. Pomer.

Nos vestro desiderio, illorumque votis indulgentissime an-
nuentes, Tibi Consiliario Nostro intimo, ac Facultatis vestrae
Decano, HENRICO à COCCEJO plenissimam largimur pote-
statem, praefatis Candidatis, summum in Utrouque Jure axioma,
cum annexis privilegiis & immunitatibus, Nostris sub auspiciis
conferendi, eosque Tiara Doctorali condecorandi: Quod, ut bene
succedat, vovemus, vosque de gratia Nostra Regia securos valere
jubemus. Dabantur Carolinæburgi XIII. Calend. Maji MDCCVI.

FRIDERICUS R.

D. L. à Danckelmann.

h

Ut

Narratio
solennium
hujus a-
ctus.

Ut autem sacra solennia hujus actus publici breviter commemoremus, dato ex superiori parte portarum transitoriarum & turrium signo, tympanorum & tubarum clangore pompa hora nona matutina initium progrediendi fecerat. Primum agmen ducebant duodecim pueri totidem lumina facesque cereas usitata in Academia Viadrina & solennibus Doctoralibus consuetudine gestantes: Hos studiosorum corona, hanc Magistratus oppidanus sequebatur. Succedebant ex studentium ordine lecti Paranympsi, testes conferendorum Candidatis honorum, bini incedentes capacibus vastisque pelvibus auro argentoque ornatis stragulis pileos Doctores Ordinum sive Facultatum omnium Candidatis destinatos gerentes, qui, ubi templum intravere, ab utroque subselliorum latere dispositi, intrantem Augustissimum REGEM & Magnificentissimum Rectorem, Augustumque Comitatum summissa veneratione salutavere, hisque admissis tapetibus instratæ mensæ pelves imposuere. Proximi Paranympsis ibant Candidati omnium ordinum primi quidem Philosophiæ honores summos ambientes, his hærebant Medici, Medicis summos in Jurisprudentia ambientes, quos Theologi sequebantur. Cumque horum omnium is numerus esset, ut singuli honoris causa deduci à Comitibus non potuerint, bini processere. Post hos Academiae, Gymnasiorumque Delegati ingrediebantur, & tandem Professores almæ Viadrinæ. Ultimi omnium ibant Pro-Cancellarii autores promotionum, quorum duo Pro-Rectorem recens creatum comitabantur, ejusque utrumque latus, claudebant Aulæ autem Regiæ Proceres eodem, quo ante ordine incesserunt. COCCEJUS, ne abuteretur Augustorum Principum patientia brevi, sed eloquentissima oratione *De duobus Reipublicæ fulcris armorum & literarum studio*: omnium Pro-Cancellariorum pietatem publicam iisdem probavit. Qua dicta interpositaque harmonia Musica Pro-Cancellarius Facultatis Theologicæ D. Samuel Strimesius Cathedram occupavit & XIII. Doctores Theologiæ creavit, ex quibus septem Reformatæ, sex Lutheranæ religioni addicti fuere. Tum vacante Cathedra Summus COCCEJUS præmissis humillimo ad potentissimum Regem allo-

lo.

loquio hujus consilii sui causam, ne geminæ orationis molestia augustas aures fatigaret, brevi sermonis compendio exposuit, & quæ dicenda essent, ad eam, quam jam dixerat, orationem remisit. Deinde ad actum ipsum auspicandum cum accingeretur, ejusque primum rei veniam potestatemque à Regia Majestate humillime poposcisset, ad Candidatos suos conversus, commendata ipsorum & communi Facultatum felicitate ab ea, quæ à præsentia Regiæ Majestatis & tam augusto Auditorio honoribus ipsorum affulgeret luce, VIII. amplissimos viros, omnes fere muneribus publicis hætenus functos, quosdam inveterata jam eruditionis experientiæque fama conspicuos, ad summos in jure honores admisit, & septem in Utriusque Juris Doctores, Octavum in Utr. Jur. Licentiatum, cui dignitati per modestiam ille acquiescebat, creavit. Hoc caractere ornatos auctosque in superiorem Cathedram, eoque quasi in possessionem delati jam muneris adduxit, omnibusque illis solennitatibus insignibus ac ornamentis, quæ more ac ritu majorum & ab antiquissima consuetudine, vel explicando, quod susceperunt, muneri, vel orandæ, quæ recens collata erat, dignitati, adhiberi auspicato solent, rite inauguravit, eorum omnium vim potestatemque paucis pro tempore explicuit, & nuncupato tandem voto eos dimisit. Medicos porro XII. D. *Conradus Johrenius* ornavit, & tandem Philosophis Laureas novus Universitatis Pro-Rector D. *Henricus Simon Plesmannus*, idem, qui supra nominatus, distribuit. Ipsi honorum Academicorum collationibus brevis & succincta præmissa oratio, qua habita Jusjurandum cujusque ordinis prælectum & præstitum, & tandem reliquæ solennes & consuetæ ceremoniæ ita tamen consecutæ sunt, ut illi alias usitati promotionum gradus ac thematicæ explicationes supplente jussu atque autoritate Regia vicem omnis celebritatis omitterentur, sic, ut omnes duarum horarum spatium peractæ fuerint. Qua occasione nec tacendum, cum deficiente die æris campani sonitu, signum omnibus publice datum esset, ad lumina accendenda & emblemata illustranda, quibus passim ornata ac referta ædes vici plateæque civitatis erant, *NOSTRUM* in hujus festi secularis perpetuam

Illuminatio in honorem Regis.

memoriam, ad testandum humillimum piūque erga augustos Principes affectum, præ cæteris aliis exquisitissimam illuminationem pulcherrimis imaginibus, ingeniosissimis emblematicis ac lemmatibus condecoratam ad aedes repræsentasse, quam per forum, reliquasque urbis plateas præcipuas vectus curru adaperto REX admodum benigne probavit, & fidissimi COCCEJ pietatem publicam indulgentissime agnovit. Prout ex secularibus sacris Regiæ Viadrinæ à Celeberr. *Becmano*, haud ita pridem, in publicam lucem emisit, in quibus descriptio cum icone exhibetur, pluribus apparet.

Hæcerat beata ac felix illa Musarum Viadrinarum sub Gloriosissimo FRIDERICO conditio, non defuere autem isto maxime tempore diversæ circa religionem Protestantium mutationes. Nam, dum CAROLUS XII. Suecorum Rex apud Saxones in vico Ranstadiensi hæreret, Silesiorum simul curam gerebat, qui de pressâ Religione Evangelica sæpius conquesti in partes Regem Suecorum vocaverant. Hic suarum partium esse ratus prospicere, ut quæ Pace Osnabrugensi *articulo V. §. 13.* promissa Religionis libertas servaretur, restitutionem per mul torum templorum in Ducatu Silesiæ una cum libero religionis exercitio à Cæsare acriter flagitabat. Tandem totum negotium, quod Anno MDCCVII. cum Imperatore agebatur, demum interventu Anglorum Belgarumque tali modo componebatur, ut promissa Silesiis religionis libertate, prout dicta pace decretum sancitumque fuerat, mutua inter Inviçtissimum JOSEPHUM, potentissimumque CAROLUM XII. amicitia firmaretur. Cæpto igitur feliciter negotio, plures ecclesiæ Augustanæ religioni addictis in Silesia restituta sunt. Quod cum Evangelico-Reformatis disputaretur, COCCEJUS tandem jussu Regio, ista occasione, Reformatorum pareni cum cæteris Augustanæ confessioni addictis, esse conditionem, quoad Politica & externa religionis *per artic. VII. Pacis Westphaliæ* gravissimis ac solidissimis rationibus non tantum probavit, verum etiam isto tractatu Cæsareo-Suecico de restitutione religionis in integrum in Silesia non solum Lutheranos, sed quoque Reformatos comprehensos, adeoque hos æque ac illos Augustanæ Con-

Status religionis Evangelicæ in Silesia.

Deductio jussu Regio edita.

Henrici de Cocceji.

Confessioni addictos, omnibus privilegiis illis ecclesiasticis restituendos esse, peculiari scripto Germanico Anno MDCCIX. edito, *pererudite demonstravit, quod scriptum paulo post multis documentis adjunctis Gallico quoque idiomate prodiit, & per Oratorem Prussicum Illustrissimum Dominum de BARTHOLDI LIB. BAR. de MICRANDER, S. R. Maj. Consiliarium intimum ac Collegii Gallici, quod Berolini est, Præsidentem summi COCCEJI ante XXVI. annos Auditorem ac discipulum, tam Viennæ, quam in Comitibus Ratisbonensibus exhibitum fuit.

Dicto Anno MDCCIX. tertia & ultima vice *Rectoris Magnifici* dignitate functus est, quod munus, ut frequentissimis omnium piis votis incepit, ita Rectoratu immortalis sui fama optine gesto, finito spatio semestri successoris sceptrum Academia tradidit. Mox enim relabente tempore, cum quarta vice eum ordo tangeret, tamen utcumque fasces regiminis Academici capessendos repudiavit, prudentissime secum perpendens, quam in Comitibus Ratisbonensibus exhibitum fuit.

Tertium
Rector
Magist.
factus,

Circa id tempus ALEXIUS PETROVITIUS Coronæ Imperiique Russici hæres, Principem Brunsvico-Blancoburgensem CAROLINAM CHRISTINAM SOPHIAM, virtutum maximarum vivam consummatissimamque imaginem Torgæ in Saxoniam castissimo thalamo sibi conjunxerat, quæ, cum instituto è ditionibus paternis in Livoniam itinere urbem Francofurtanam ad d. VIII. Decembr. MDCCXI. auspiciatissima præsentia sua beasset COCCEJUS, tota illustri Universitate applaudente, votiva gratulatione Senatus Academici nomine, cultuque humillimo eandem excepit.

Czarovitti
conjugi de
adventu
gratulatur

Aderat interim annus FRIDERICO SAPIENTI maximo æternæque memoriæ Regi fatalis, cui virtutem, pietatem, assiduitatem ac prudentiam suam tam manifeste probaverat, ut nunquam animum in *Nostrium* mutaret, eandemque erga eum

Friderici I.
Regis obitus,

h 3

VO-

* Inscriptio allegatæ Deductionis ita se habet: Gründliche Ausführung / daß die Evangelisch-Reformirte in Schlesien und aller Orten so wol / als die Evangelisch-Lutherische unter den Augspurgischen Confessions-Verwandten nöthwendig und ohnstreitig verstanden werden müssen / und unter keinem Schein irgendwo davon ausgeschlossen werden können. Gedruckt Anno 1709.

voluntatem constanter retineret; qui cum Anno MDCCXIII. mense Februar. clauderet vitam nimis mature, quam degerat gloriose, *Augustissimus Regni Electoratusque Heres* FRIDERICUS WILHELMUS, *modernus Prussorum Rex potentissimus*, simulac Regium solium conscenderat, COCCEJUM incredibili benevolentiae testificatione de gratia Regia securum esse iussit, quam Gloriosissimi Parentis exemplo singularissimis testimoniis in dies magis magisque auxit. Cumque sub ejusdem anni finem sacrum *Jubileum idque Evangelicum primum* in memoriam à gloriosissimo Electore JOHANNESIGISMUNDO Anno MDCXIII. ipso Servatoris nostri natali amplexæ, & in Marchiam Brandenburgicam publice introductæ Reformatæ religionis appropinquasset, ea felicitate usus est, ut jam alterum jubileum in alma Viadrina colere, solenniaque festi hujus secularis ex speciali *Regia Majestatis* beneficio à tota Universitate ac civitate d. XXVIII. Decembr. celebrata peragere potuerit; Ut taceam illud, *Nostrum* jam ante, Anno scil. MDCLXXXVI. mense Novembri, secularia sacra per antiquæ Academiæ Heidelbergensis * auspiciis Electoris Palatini concelebrasse, prout id *Acta Jubilei* luculentissime testantur.

Jubileum
Evangelico-Refor-
matorum.

Lites in
convictorio Regio-
ortæ.

Succedente Anno MDCCXIV. differentia illæ inter mensæ Regiæ membra & *Convictorii* Oeconomum obortæ, de sumptibus Nundinarum solennium tempore huic erogandis, successu temporis incrementa capere videbantur, in quorū insigne præjudicium Pro-Rector Magnificus partes Oeconomi amplexus secutusque certam quandam mensam à victu excluderat. At reliquæ mensæ ideo causam communem facientes à prandio ultro abstinerere, abiturumque parare penitus secum constituerant, nisi *No-*
ster ad evitandum civium Academicorum discessum, pro innato

VE-

* Ejus enim Academiæ siye studii generalis, uti primum appellata est, primus Rector Marfilii ab Ingen, Sententiarius notissimus, Doctor Parisiensis & Canonicus inauguratus est d. 17 Nqvembr. MCCCLXXXVI. qui & proprie natalis censetur Academiæ Heidelbergensis. Cœterum illa foundationis primitate, redituum, amplitudine & privilegiorum gloria inter Germanicas Principem locum promerita, ac plane ad formam *Universitatis Parisiensis* tanquam matris quoad studia, Regimen, Jurisdictionem, forum, immunitates quasque & honoris ac sessionum prærogativas erecta est, de qua fusius agit *Frider. Spanhemius in Epit. Magog. ad Histor. Eccles. Nov. Test. p. 747. seq.*

vere paterno erga studiosam juventutem amore, & maxima qua ubique Francofurti pollebat autoritate, convocato concilio Academico, rem omnem in ejusdem satisfactionem decidere, exclusaque membra in pristinum statum, quicquid Pro-Rector Bero- lini in contrarium moliretur, restituere allaborasset.

Etsi autem hoc in primis tempore ea erat ætate, quæ otium quam maxime amat, tamen excusatione senii nunquam usus est, sed semper lectionibus ac negotiis Academicis mirabili animi vigore, ingenioque ad quælibet excitatissimo interfuit, ea summo studio curans, quæ muneris ratio postulabat. Neque ab hac consuetudine atque hoc vitæ labore unquam recessit, nisi fortasse aut valetudine adversa, aut gravissimis occupationibus impediretur. Ut jam de reliquis infinitis laboribus taceam, de Consiliis & responsis, quæ in impeditissimis causis celeriter & nullo negotio dabat doctissime, deque causis Regiis ab aula oblati, quas continua industria prosequeretur, sic exercitium disputatorium nunquam posthabuit, quod dum in deliciis fere habebat, ita Cathedram in tam gravi senectâ aliquoties adhuc ascendit, dubiaque obmota brevi quidem at nervosa responsione resolvit, in id quam maxime intentus, ut omnem in docendo verborum speciem evitaret, verborum autem pondera, quæ vel omnia recluderent, proponeret. Hisce cum esset meritis juxta ac moribus, tantam sibi apud omnes autoritatem famamque pepererat, ut *Princeps Jctorum, communisque Doctor* non in Germania, sed omni Europa omnium judicio & tamen invidia procul celebraretur. Etenim non modo Ordo Juridicus respectabat ad illum, ceu *antistitem rerumque politicarum custodem ac vindicem*, in quem universæ negotiationis summa ab omni tempore collata erat, sed exteri quoque ad eum sæpenumero à longe distitis locis causas deferrebant suas, ab eoque ceu communi quodam oraculo Consilia & Responsta expectabant, in quibus tantum præ se ferebat judicii acumen, adductarum rationum pondus, allegatorum gravitatem, ut vel ex hisce pateret, quantum & hac in parte præstaret. Id pro certo scimus, nullum prope negotium magnum vel in aula, vel ecclesia & in - & extra terram Palatinam ac Prussicam, eo inscio, vel inconsulto gestum fuisse, quum

Lectionibus omni tempore interfuit assidue.

Princeps Jctorum sui temporis,

quum id sibi maxime sequendum quisque putaret, quod COCCEJO potissimum placuisset.

Fuit Auto-
didactus.

Cæteroquin *Papinianus Noster* fuit Autodidactus, *qui omnia privatim adhibita industria proprioque labore arripuit, nec unquam publicis lectionibus, unicis in institutiones Justinianæ exceptis, interfuit. In primis autem *JUS NATURÆ & GENTIUM*, item *JUS PUBLICUM GERMANICUM* ad summum perfectionis fastigium præ omnibus extulit, primumque systema in Anglia, alterum in Palatinatu concepit; Operæ pretium est, id quod ansam ad utrumque studium ei præbuit, paucissimis hic attigisse.

Ansa ad
Jus Nat.

Primum sibi totus persuaserat, Jus Civile Romanum nil nisi puram esse Rapsodiam, quæ potius ex cerebrino Legislatorum Romanorum arbitrio, quam ex sana ratione sit deducenda, quam ob causam, Philosophia saniori unice operam dare instituit, præsertim cum apud Avunculum *Henr. Oldenburgium* supra memoratum, commodam ad excolendam eam, in Anglia natus esset occasionem. Cum vero, libros de *Jure Belli & Pacis* HUGONIS GROTII, qui hoc jus, à nemine ante universim ac certo ordine esse expositum in prolegomenis fatetur, aliquando privatim perlustrando animadverteret, eum certa quædam Juris Civilis dogmata è jure Naturali, velut è fonte quodam, derivare, momento decrevit tanti Viri vestigia premere, periculumque facere, quali quantoque fundamento innitatur illud, quod Jctus §. *fin. Inst. de J. & J.* inquit; *Jus Civile collectum esse ex principiis Juris Nat. & Gent.* Hinc, eum in finem, supposebat firmum aliquod & immutabile principium obligatorium actio-

Inventos
veri prin-
cipii Juris
Nat.

* Per hunc quidam intelligunt, vel, qui omnem scientiam sine ulla manu ductione propria industria acquisivit, vel, qui quandam doctrinæ partem absque Magistri institutione arripuit, vel ad hauriendam eruditionem tanta informatione usus non est, quanta opus fuisset, & sic maximam scientiarum partem, proprio Marte consecutus est. In quorum numerum referendi sunt *Isaacus Casaubonus* Phoenix eruditorum, *Wilhelmus Buddæus* Gallia illud portentum, *Abram. Ortelius* alter Ptolomæus, *Josephus Justus Scaliger*, *Thomas Morus*, *Jacobus Cujacius*, *Reinhardus Bachovius*, *Hermannus Conringius*, *Gothofredus à Jena*, *Jacobus Perronius*, *Johannes Joachimus Becherus*, alique, quorum quisque in sua disciplina maximos in literis fecit progressus, quibusque cum *Perillustri Coccejo*, quod perquam rarum, summa in qualibet scientia absque ulla præceptoris opera, perfectio obtigit.

actionum moralium, nempe *Voluntatem Dei*. Ut autem ostenderet, quidnam illi voluntati divinæ, sive legi naturali, ex qua omnia juris Nat. capita, ipsaque adeo societatis custodia derivari, & in quam omnia rursus resolvi possunt, congrueret, quinque demonstrandi modos fixit firmisimos, & quidem tales, quibus quoque inter homines intentio & voluntas decernentis declarari solet. Et ex hisce principiis, omnia illa jura, quæ tum inter DEUM & homines, tum inter homines ipsos vigent, methodo Mathematica deduxit solidissime, exposuitque, *hoc jus esse ipsam primæ creationis legem, secundum quam hominem, ex Creatoris præscripto, vivere oportet, qua homines inter se invicem societati, eisque potestas in hanc terram data est; imo fædus illud omnium primum & inter rerum Creatorem ac hominem universalissimum, quod, et si Judæis postea revelatum, statim tamen ab initio Mundi factum tanquam lex, ob quam terra, vita cæteraque in orbe terrarum homini concessa fuere.* Hinc, à *Jure Civ.* tam causa, quam autoritate, longe distare monstravit, quia divinum Legislatorem perfectissimum Autorem agnoscit, non privatum; neque unum tantum populum, sed universi orbis terrarum Principes æque ac subiectos obligat, quod circa Regnorum ac maximorum territoriorum summa negotia unice versatur, quæ, quo eminentiora sunt, eo eminentius jus ipsum esse debere. Accedere, quod sit fons, ex quo, uti etiam *Juris Civilis* casus addita solum descriptione & demonstratione deducuntur, ita, ut nec conjecturis, nec alienis principis egeat, sed proprio suo & firmo innitatur fundamento, & à reliquis separata disciplina, ex qua Principes orbis conveniunt, & ad fidem servandam compelli possint, maneat. Unde, cum *Juris Civ.* potestas humana sit, licet hoc consequenter de jure quoque Naturæ dici possit, dum tamen Magistratus Deus parere jubeat, id quoque de ejus legibus, quæ ipsum jus Civile sunt, disposuisse, & cum reliqua jura, locis & temporibus mutantur, exiguisque terminis civitatis suæ contineantur, hoc natura, nullis abrogationibus obnoxium, inconcussum stare, æternum, immobilitate, immutabile, universale esse, quod ad universam rerum naturam pertinet, & ab humana, sive terrestri potestate infringi nequit.

Equidem videri posse, Jurisprudentiæ Naturalis ad singulos casus

Utilitas
hujus juris.

fus maturam applicationem usumque hodie, quo Jus Romanum tanquam Jus Gent. commune observari solet, deficere, at cum omnibus fere Gentibus, in decidendis controversiis, sufficientissimum sit, magnam ideo ejus utilitatem, insignemque effectum omnino superesse in juris Gent. lectionibus erudite explicuit, nimirum

(1.) *Ut homo videat, seposito jure Civili, ad quod obligatus sit, quenamve jura, licet Jure Civili destitutus sit, habeat.*

(2.) *Ut appareat, quenam leges validæ, quæ non sint, cum id, quod extra jus Nat. & Gent. positum est, constitui non possit, lexque civilis de eo, quod contra jus Nat. præceptivum tendit, dissonare nequeat, nec Magistratus sine cognitione juris Nat. legem facere soleat, per L. 6. ff. de l. & l. ubi Jus Civile lacunia quedam Juris Nat. dicitur, quoties ei aliquid additur, vel detrahitur, quod patet ex §. fin. Inst. de l. & l. 1. §. 2. ff. eod. ubi ex præceptis naturalibus & civilibus Jus Civ. conflatum esse statuitur, impossibile autem esse compositum absque suo corpore, ex quo prodit, cognosci.*

(3.) *Ut Magistratus securus sit, in quibus dispensare queat, vel non, & licet de Jure Civ. in delictis, nuptiis & simil. dispensationes fieri posse verissimum sit, eas tamen juri Nat. quod absolutam juris cognitionem præsupponit, contrariari non posse, docuit.*

(4.) *Hinc, magnam utilitatem in eo versari, quod non constituto, neque satis probato Jure Nat. libidini superiorum & potentiorum subjecti essemus, quippe hoc solum jus esse, quod Principum maximorum infimisque hominum personis æque præscriptum. Regibus frena injicit, quo sublato, vel saltem non satis probato nihil superfit, quod Principem, qui aliud jus non agnoscit, coërceat, vel judicis, qui non nisi legibus superioris sui tenetur, injustum arbitrium retundat.*

(5.) *Interesse homini, maxime jura illa distinguere, quæ ab æterno & in æternum sunt, nec mutari possunt, ab illis, quæ arbitraria sunt, & pro varia utilitate mutantur, ut inde discatur, quid addi, quidque detrahi Juri Nat. possit, quod ex ejusdem principis colligendum, quo jure facultas nobis concessa est, de rebus nostris licite disponendi. Cum igitur, hoc jus certum, reliqua omnia, nisi quatenus ex eo deducuntur, incerta sint, Jus Rom. ideo perpetuum*

ac

ac certum dici, quia ex ipsis Juris Nat. fontibus originem trahit. Quantum autem incommodum sit, jure incerto uti, ex eo constare, quia quisque necessario ibi subjectus esset arbitrio potentioris, vel fortioris, quæ incertitudo, allegatur in L. 2. §. 3. ff. de O. I. orireturque tum, perpetuum bellum aliquod, exemplo barbararum & ferocissimarum Gentium, quæ instar brutorum, cædibus promiscuis student.

(6.) Nullam Rempublicam, absque hoc Jure subsistere posse; Justitiæ enim neglectu, vel abusu perdendis Regnis nihil proclivius esse videri, adeoque sine hoc juris & justitiæ tramite, Imperia nihil esse, quam ingentia latrocinia, prudentibus semper persuasum fuisse. Quippe à solo hoc fine, unice discerni cætus civium & latronum, quod illi juris tuendi, hi ledendi & criminis patrandi causa sint sociati, quanquam nec hos ipsos ex raptu viventes, sine ullo jure esse, vel esse posse, quotidie videamus, adeoque justitia inter Gentes integra, nullum bellum, fracta illa, nihil pacis esse possit, nec ulla felicitas seculi, nisi in penam. Denique

(7.) Usus Juris Naturæ, quam maxime facere ad accuratam Juris Civilis cognitionem, quia collectum est ex legibus Naturæ & Gentium, adeoque, uti nulla disciplina absque genuino & proprio suo principio cognosci potest, ita nec Jus Civile, nisi verus ejus fons ante rite cognoscatur, cujus præclarissimæ quoque disciplinæ ductu ipsi Juris Nat. scriptores, optime intelligendi sunt. Quod negotium, nullis felicius ac melius, quam Romanis successit, quorum condendi juris gloria, adeo æternitatem promerita fuit, ut, quemadmodum Judæis religio, Græcis sapientia, ita Romanis justitia, tanquam propria, tribuatur.

Hæc tradita, ut prolixius deduceret principia sua, ideo in certas, & quidem XV. Positiones retulit brevissime, ex quibus peculiare Juris Gentium Systema elaborare constituit, quo cæpto autem & proposito, dum negotiis maximis ab Aula Regia oblatis, perpetuo occupatus erat, hucusque impeditus est. Hæc quidem Positiones, quæ universam Naturalis Philosophiæ doctrinam & ambitum exhauriunt, ante nunquam fere publici Ju-

Positiones
Juris Gent.

Commen-
sarius Cra-
meri.

ris facta, nisi quod Prælectionibus Grotianis primum dictando præmissa, & dictata deinde à nonnemine Auditorum absque ulla revisione typis commissa sint. Quoniam tamen *Vir Consultiss.* FRID. HERM. CRAMERUS, ante annos aliquot commentario succincto & perspicuo eas illustravit, ac solida Juris Naturæ principia, nervose ibi excussit,* imo ipsi *Justitiæ Gentium Prodromo* cum nonnullis additionibus annexæ conspiciuntur, eas hic apponere in præsentī superfedemus, Lectoremque eo remittimus.

Methodus
docendi.

Interim, *Summi Papiniani* incomparabilis industria, hunc demum insignem præstitit usum, ut lectissimas & subtilissimas Juris Civilis materias ex veris principiis naturalibus eruerit, simulque ostenderit, in Corpore Juris quidem difficiles & obscuras leges, nullas tamen veras antinomias reperiri, legesque explicari commode posse, quod ex Disputationibus singulis, quæ rarissimas & difficillimas Juris materias explicant, & li. magnis Voluminibus nunc in lucem prodire, clarius videri poterit. Inde in Prælectionibus suis, *Nostrum* magis occupatum vidimus circa difficiliora, quam, ut quæstiones ubique obvias recoqueret, plerumque in ore habens, quod perpetui sibi symboli loco fuit: *Summum in ignorantia, esse opinionem scientiæ.* Imo maxime averfatus semper est illos, quales hodie multi exsurgunt Doctores, qui intra breve quoddam tempus, imo intra paucorum mensium spatium absolvere Jurisprudentiam se velle frustra ac inaniter spondent, & Studiosos brevi quasi manu ex Academicis lectionibus dimittunt, antequam vera rationis & juris momenta cognoverint, primaque principia gustaverint. Nihil certe ejusmodi perfunctoriam tractationem prodesse, vel sufficere putabat, quia non de eo, quod in controversiam vix cadit, sed de casibus maxime arduis & spinosis in foro quotidie quæstionem moveri, sua multorum annorum experientia optime testabatur.

Cæterum COCCEJUS, justitiam suam Gentium, à plerisque

* Faciunt huc ejusdem Viri doctissimi Conclusiones Jurisprudentiæ Universalis, in quibus ad ductum POSITIONUM COCCEJANARUM selectissimæ Juris æterni quæstiones clarissimis rationibus deciduntur ac resolvuntur,

que diu desideratam, quam docendo communicavit cum Auditoribus, denuo perficere, publicique juris facere, dudum & serio constituerat, quem in finem, *Autonomiam Juris Gent.* & tandem *Prodromum justitiæ Gentium*, sive *duas exercitationes ad Grotium* accommodatas, paulo ante obitum typo impressas, præmiserat, in quibus id unice egit, ut in *priore*, verum juris Naturæ rite deductum principium, à virtutis notione distingueret, socialitatem aliaque minus adæquata principia removeret, nævosque, quos summi quoque viri circa methodum tractandi justitiam Gentium commiserere, emendaret, in *altera* vero Majestatis veram originem, solidis perquam rationibus indagaret. Et licet cœpta continuare, reliquosque *Grotii* libros sub censuram vocare animus esset, mors tamen superveniens, in cujus vicinia adhuc manum operi huic admovit, destinatum propositum interrupt, ut ita incomparabile hoc & excellentissimū opus, de quo non nisi prima capita supersunt, integrum non absolvi, edique potuerit. Id certum est, omnes magno teneri desiderio hujus libri, in quo perfectissimum *Juris Nat. & Gent. systema* * cui otium hucusque impendit, composuerat, de quo sæpe numero libenter verba faciebat, & quo nil dulcius erudito orbi fuisset, si per fati clementiam ad finem perducere labor iste potuisset.

Autonomia & Prodromus Justitiæ Gent.

Quod ad *Jus publicum Germanicum* attinet, HENRICUS noster primus fuit, qui id ex veterum Germaniæ Provinciarum historia derivavit. Cum enim, doctissimus seculi sui Elector CAROLUS LUDOVICUS, qui sæpius, cum illustri Juris Publici Doctore nostro, colloqui consueverat, aliquando ex eo quæreret, numne in historia antiqua certa inveniantur vestigia

Juris publici occasio.

* Quam anxie ejusmodi opus desideratum sit, testatur IH. à LUDWIG in Tr. de *Auspicio Regum Coroll. 2.* his verbis: Utinam vero *Systema Juris Gent.* nobis esset, è consuetudinibus ac voluntatibus populorum plene, & rationibus adjectis contextum. Sed hæc *Philosophia Aulica* hætenus fuit, quæ nondum venit ad umbras Scholarum. Ab homine ergo Scholastico frustra Judicium expectes tantæ rei congruum. BOINEBURGHII, SECKENDORFII, FORSTNERI exornare hanc spartam potuissent: in cuius rei conatu, quod ex ore habeo summi quondam Viri, CULPISIUM fata nuper prævenerunt. Cui COCCEJUM, summo Jure jungimus, imo palmam concedimus, de quo penes impariales esse Judicium.

Locus Plinii.

de origine Circulorum Imperii, & qua ratione MAXIMILIANUS Imperator initio commotus, ut Imperium in sex, non plures, vel pauciores circulos divideret? omnem proinde, quam potuit operam, navavit, ut ejus rei genuinam ac indubitam rationem investigaret, licet diu irrito ac frustraneo fere successu. Cum vero aliquando, tempore vespertino, in Musæo Plinium ad manus haberet, incidit forte fortuna in *quartum librum historiæ* ejus, ubi *cap. XIV.* hæc verba invenit: *Antiquitus quinque populos Germaniæ fuisse, I. Vandalos, II. Istævones, III. Ingevones, IV. Hermioncs, V. Bastarnas.* quibus VI. *Marcomanni* accedunt, quos tamen *Plinius*, quia tum in potestate Romanorum erant, omisit. Hic statim cogitationes ac meditationes surrepsere, an forte hi essent illi populi, qui postea VI. Circulis divisi, quibusque Imperii Germanici gubernacula, simul fuissent concredita. Quodeo verosimilius *Nostro* visum, quod ex antiqua historia jam cognoverat, Westphaliam successu temporis peculiarem factam fuisse Provinciam, & jam sub *Carolo M.* à Saxonia avulsam, sextum ideo formare circulum.

Incunabula R. Franciæ ostendit.

Ad inquirenda igitur *Juris Publici Germanici* initia, ac imprimis Regni Francici natales, ostendit I. hoc initio constitutum fuisse intra fines Germaniæ, in terra, quæ tunc sola, *Franciæ* nomen habuit, quæ trans Rhenum est, & adhuc hodie *Francia, vel Franconia* dicitur. Inde Reges ejus, trajecto Rheno terras *Galliæ Belgicæ* ad Rheni ripam occupasse, & ita *terram Rhenensem* Regno suo adjunxisse, in ea sedem Regiam fixisse, ac hoc adeo Regnum illud Merovæi fuisse, cujus armis & opibus, cum reliqua fere *Gallia Belgica*, tum victis à Clodovæo Suevis & Batavistota *terra Rhenensis Gallica*, & trans Rhenum *Suevia & Bavaria*; porro à Clodovæi liberis, Regna *Burgundiæ & Aquitaniæ*, seu *Gallia fere Lugdunensis & Aquitanica*; denique à *Carolo M.* utraque *Saxonia & terræ nationis Slavicæ*, atque ita universa *Germania & Gallia*, utraque insuper *Pannonia*, cum terris *Illiricis, cæterisque usque ad Alpes* debellata, & Regno adjuncta fuere. His præmissis docuit,

II. Intra fines Germaniæ, ab omni memoria sex populos liberos sui que juris, & quidem sub Francis hos fuisse: *Francos, Ba-*

Henrici de Cocceji.

Bavaros, Suevos, Saxones, Moravos & Vandalos seu Venedos, neque simul & eodem tempore, unquam plures liberos, & sui juris populos extitisse; sed *Francos*, iis ad sociasse, *populos Gallie Belgicæ ad Rhenum*, qui Germani fuere, & terra eorum similiter *Germania* dicta. Hinc

III. explicuit: *Moravia veteri & Vandalia* à populis nationis Slavicæ occupata, ideoque tum nondum in civitatem Teutonicam, ejusque jura recepta, reliquos juris Germanici populos V. fuisse: *Francos, Rhenenses, Bavaros, Suevos, & Saxones*, & ex his, deinde VI. Germaniæ circulos Saxoniam à *Maximiliano I.* in duos divisa, extitisse; Ex his *sex Provinciis*, corpus Regni Teutonicæ nationis componi, & sub appellatione *der vier Teutschen Landen* quinarium istorum populorum, seu Provinciarum Germaniæ numerum evidenter contineri. Porro

IV. monstravit, qua lege & discrimine, singuli hi populi antea liberi, in unius Regni corpus initio juncti fuerint, nimirum duas priores Provincias *Franciam* in solo Germanico, & *terram Rhenensem* in Gallico inter Rhenum & Mosam, ipsum Regnum *Franciæ, seu Austrasiæ* constituisse, unde & *utramque Austrasiam* scil. trans- & cis-Rhenanam dictam fuisse, hocque nomen in Gallia cœpisse, sive terra Rhenensi, ad distinctionem *Westrasie* in eadem Gallia. Denique

V. Probavit, duas istas Provincias, libera & immediata membra *Regni Franciæ sive Austrasiæ* fuisse; quæ proinde sub Rege & *Jure Francico*, tanquam sub suo Magistratu, suisque legibus & judiciis vixerunt. Indeque duas illas solas, earumve Proceres, ad universalia Regni comitia, quibus de suo bono publico, & totius Regni salute, omnique Republica consultandi & statuendi libertas continetur, vocatos; neque ad hæc Regni Comitia, ullius alterius Provinciæ Ordines seu Proceres è Gallia, aut Germania admissos fuisse.

Atque in hujus rei majorem evidentiam, accuratissimam tabulam prælectionibus Juris publici inservientem olim, delineavit, ut ex ea clarius cognoscatur (1) *Divisio totius Franciæ in tria Regna.* (2) *Qui tota Germania, ab omni memoria in VI. deinde adjecta terra Rhenana, in VII. populos, seu Provincias vulgo,*

Tabula
Geogr.
Germaniæ
veteris,

Fata & Merita

go, *Krause distincta fuerit.* (3) *Divisio & situs partis mediatæ & immediate, item superioris & inferioris, & qualiter immedia- ta in medio Regni Francici sita fuerit.* (4) *Quæ portio Regni Lo- tharingici Germaniæ, quæ item Galliæ ex divisione Ludovici Germanici & Caroli Calvi fratrem accesserit.* (5) *Quæ hujus Re- gni terræ sint extra Arelatense.* (6) *Hoc, qui & quibus finibus in illo natum Germaniæ accreverit, & (7) Quæ pars Germaniæ à Græcis & Romanis specialiter nomine Galliæ comprehensa fuerit.* Imo, ut evidentius constet, intra hos Germaniæ limites, non alios fuisse populos liberos, sive immediate Regno Germaniæ subjectos, finesque eorum ita invicem cum à fronte, tum à tergo continuari, & mutuo contingere, ut in toto hoc corpore nullus populus liber intermedius continentiam dividat, aut seriem indivulsam eorum interfecet.

Ulterior
Franciæ
historia.

Horum igitur *V. populorum liberorum*, ex ipso Germaniæ statu ac situ, ab ultima rerum memoria enatorum ac producto- rum (quos eodem numero, iisdemque nominibus, mirifico con- sensu recensent & celebrant, non *Annales* tantum, sed & *Leges Germanorum antiquæ*.) incrementa & historiam, ad hodiernum usque diem, erudite perquisivit, itidemque ex coævis autori- buseleganter probavit, quomodo *Germaniæ, vel Franciæ Reges*, cunctas hæc Provincias bello occupaverint, & quasdam ha- rum terrarum, Ducibus suis feudi, jure tradiderint, reliquas vero, per Missos Regios administraverint, ita, ut illæ mediate, hæ, immediate Imperio Germanico subjectæ fuerint. Hoc pacto, non solum ignotam hucusque originem *terræ mediatæ & immediatæ*, verum etiam causam, cur in *Franconia, Suevia & Terra Rhenensi* Comites, Civitates ac Nobiles immediati sint, solide pervestigavit. Præterea, cum hæ Provinciæ, semper in negotiis Imperii publicis adhibitæ fuerint, demonstravit, *Ma- ximilianum*, qui Imperium in certos quosdam Circulos distri- buere decreverat, non potuisse non, illud *his VI. Provinciis* de- ferre, proindeque hanc ordinationem, reapse, nil novi porten- disse, sed in antiquissima Germaniæ Constitutione, jam funda- tam esse. Porro docuit, quod in terris mediatis Regentibus, Du- cibus, quorum, ab initio semper quatuor fuere, ab antiquissi- mis

Origo Ele-
ctorum.

mis temporibus *IV. Officia aulica* collata sint, qua ratione historia de *Archi-Officiis & quatuor terris*, multo clarior reddita. Et quia hi *IV. Duces* omnium Regni negotiorum participes facti, denique indigitavit, quod in negotio electionis præ cæteris aliis adhibiti fuerint, illudque tandem eis privative concessum, ut inde nomen *Principum Electorum* traxerint. Atque ita originem Electorum Imperii ex certo fonte deduxit, quæ doctrina, cum innumeris aliis materiis, apud *Juris Publici Doctores* in hunc usque diem ne quidem quæ sita fuit, hodie vero in plerisque Academiis Germanicis, paucis exceptis, hoc *Juris Publici* systema, certatim versatur, ac secundum hæc *Summi Doctoris* principia, ubivis docetur, quinimo in Belgio, cum utrisque *Hypomnematis*, non tantum maximo applausu receptum, sed etiam eruditorum virorum observationibus illustratum prodiit.

Atque hisce, *Juris Publici prudentia* * Anno MDCXCV. primum edita, innititur fundamentis ac veritatibus, quo opere, re vera orbem literatum sibi valde obstrinxit, id quod, *FRIDERICUS Prussorum Rex Gloriosissimus*, omnisque eruditorum cohors statim suffragio publico comprobavit, quodque *Galliarum Regi LUDOVICO XIV.* adeo placuisse ferunt, ut è latino idiomate in vernaculum sermonem converti mandaverit. Vivet monumentum istud ære perennius, donec justitia reget orbem, ullusque literis manebit honos. Quod enim à nemine præstari posse quisque putaverat, *Auctor Noster numeris omnibus absolutissimus* præstitit, qui illustri hoc documento publico, reconditas Germaniæ antiquitates, in lucem revocavit, & ita *Ius Publicum Romano Germanicum*, cum *antiquitate*, in gratiam reduxit. Plaudunt, applaudentque omnes novæ huic antiquitati, quæ unico *MAGNI COCCEJI* beneficio, nostro demum seculo renata est.

Appro-
batio Gal-
liæ & Prus-
siæ Re-
gum.

k

Quem-

* Varia iudicia ac elogia de absolutissimo hocce juris Publ. compendio exhibentur. (1) in Actis eruditorum Lips. ad ann. 1695. in Novembr. fol. 524. (2) Bilderbeckii Bibliotheca juris publici, p. 20. (3) Struvii Bibliotheca Juridica selecta c. 14. p. 559. (4) Gryphii apparatu scriptorum Historiam Seculi XVII illustrantium, c. 2. p. 56. (5) Langguti animadversionibus prudentiam Juris Publ. Coccejanam illustrantibus, in præfat. (6) Eberti Themide libraria DD. quintuplicis Jurisprudentiæ novo quasi tribunali ordine perlustrante, Lib. 5. MSS. & in multis aliis.

Dubia ab
eruditiss
mota,

Quemadmodum autem ex dictis abunde liquet, COCCEJUM, in qualibet Juris specie, non communem Doctorum scholam, ut hodie sæpe numero fieri solet, secutum esse, sed veritatis studio, ipsa genuina principia & fontes Jurium, unde illapromanarunt, operose pervestigasse; ita quovis tempore, non defuerunt, qui præcipiti ausu in dogmata ejus grassari, veraque principia in dubium vocare, nec non plerasque ejusdem assertiones, utut solidissimis rationibus innixas, novitatis quadam macula aspergere sategerunt. Horum aliquos, ne responsione quidem dignatus est, sive aliena manu repulit, quibus autem respondit ipse, ea tractavit cautione, ut mature liceret receptui canere, satis gnarus, hanc esse indolem istarum disceptationum, ut gliscerent certando, postremoque in maledicta tam victori erubescenda, quam victo, desinerent. At, quoniam magna & illustria quorundam virorum nomina sunt, qui cum tanto *Jurisprudentiæ Coryphæo* in arenam descendere, amicamque collationem invicem instituire, maximo sibi honori duxerunt, adeoque non intimæ laudi *Nostro* ducendum, cum plerisque per Europam *celebratissimis* *Jctis* rem habuisse, hinc potiores disceptationum materias, Statumque causæ ordine enarrare, quibusdam non ingratum fore exitimavimus.

Contro-
versie Jur.
Nat. &
Gent.

(1) Cum
Hertio.

Utque à Juris Naturalis & Gent. controversiis, quas reliquæ separatim excipient, ordiamur; notum est, COCCEJUM omnis Juris principium, in *Voluntate Dei æterna*, ad omnes hominum Status sese extendente, posuisse: quæ sententia, jam diu Beatum JOHANNEM NICOLAUM HERTIUM, *Jctum & Antecessorem Giffenium famigeratissimum* valde offendit, qui, dum in disputatione, Anno MDCXCV. habita, de *Socialitate primo Juris Nat. principio*, quæ in Tomo I. *Selectorum & rariorum Jurisprudentiæ Universalis argumentorum* continetur, varias Auctorum de Principio Juris Naturalis rejicit sententias atque opiniones, omnesque difficultate laborare demonstrat, de solidissimis quoque COCCEJI principiis, in *Positionibus Generalissimis Juris Gent.* expositis, quædam monenda attulit, & *Posit. I.* in transitu quasi, suppresso nomine *Sect. 2.*

§. 18. ita impugnat: *Pari difficultate premuntur, qui principium illud loco ponunt primo: Homines potentiis à natura instructos, licite agere, donec aliquis, qui prohibere recte potest, prohibeat. vid. d. Pos. 1. Etenim, ut omittam, principium hoc Juris Nat. proprie ita dicti, quippe quod simpliciter ita precipit, non esse; sed ἀναλογικῶς talis, respectu scil. tertii, qui ex facultate ejusmodi agentem impedire non potest: Idem particulare esse videtur, primo & per se pertinens ad Statum naturalem. Prima autem principia, ad Status locum (forte hominum dicere voluit) omnes, se porrigere debent. Cui quidem Summus HENRICUS, maximis occupationibus obrutus, hæctenus nihil respondere potuit, at, quam parum Vir beatus, COCCEJI mentem affecutus sit, imo quam nude assertiones suas contra dictam Positionem Coccejanam allatas probaverit, Perillustr. filius DN. SAMUEL de COCCEJI in Tract. de Principio Juris Nat. unico, vero & adæquato part. 2. Sect. 3. modeste ac erudite demonstravit.*

Circa eandem materiam hunc excepit Autor Anonymus, (2) Cum Leibnitio, qui vulgo creditur Vir Illustris GOTHOFREDUS GUILIELMUS LEIBNITIUS, Augustiss. M. Britannia Regis ac Electoris Hanoverani, Consiliarius intimus, Societatisque Scientiarum Prussica, quæ Berolini floret, Præses meritissimus, cui laudata differtatio COCCEJANA de Principio Jur. Nat. salivam movit, ideoque, in observationibus quibusdam Anno MDCC. editis, & dem Monatlichen Auszug von neuen Büchern insertis, recto nomine, censuram quandam ab eo passam fuisse, postea apparuit, Excellentiss. tamen COCCEJUS Junior, in itinere tum temporis constitutus, ingratum haud nuncium accepit, & re bene perpensa statim deprehendit, Dn. Antagonistam, virum alias in omni eruditionis genere versatissimum, in plerisque verba captare, in quibusdam verum sensum non assequi, & in aliis videri à se ipso magis, quam à summo COCCEJO Parente, dissidere. In definiendo enim Jure Nat. adeo fluctuatus est, ut illud mox definiat, quod ex sola ratione naturali, sine revelatione sciri potest: deinde, principium ejus constituat in Dei intellectu & sapientia; tum in ejus bonitate & benignitate;

postea in perfectione Societatis humanæ & divinæ; inde, in jussu supremæ rationis, porro, in ipsa essentia Dei, non voluntate, quam denique definit, illam esse, ut quicquid publice i. e. Deo, humano generi & Reipublicæ utile, vel damnosum est, jus faciat; ut itaque per has variationes, in multas difficultates ac dogmata periculosa incidat. His interim vagis objectionibus, vindicias suas, Anno 1702. opposuit, idem Perill. Dn. SAM. de COCCEJI in prælaudato Tract. de Principio I. N. Part. 2. Sect. 1. ubi mota dubia breviter, succincte & modeste resolvit.

(3) Cum Ludovico.

Porro, ut ad tertiam circa hanc quæstionem ventilatam disceptationem transeamus, jam supra memoravimus, quomodo magni nominis COCCEJUS, Summi Grotii & Puffendorffii Societatis humanæ custodiam, sive illud CULPISIO laudatum principium genuinum, sufficiens, manifestum & adæquatum destruxerit, solamque æternam Creatoris voluntatem, regulam actionum moralium, neutiquam Socialitatem, constitui posse explicuerit, quod principium, tanquam omnis boni normam immotam & infallibilem, non modo pari sensu retulisse, sed & iisdem prope verbis, utrosque & sacros & Gentium interpretes significasse, in dicto Tract. de Principio I. N. P. 1. qu. 2. & Auton. Jur. Gent. optime indigitavit. Ad cujus sententiæ pleniorẽ evidentiã, disputationem solennem de Principio Juris Naturalis &c. Autore & Respondente Perill. filio SAMUELE Anno MDCXCIX. in Regia Viadrina defendit, quæ, cum præter omnem spem, varios nacta fuisset observatores, tum è re visum fuit, à dubiis ac præjudiciis illam liberare, mentemque circa obscuriora clarius explicare, siquidem Anno MDCCII. multo auctior edita, & in integrum tractatum duabus partibus divisum, excrevit, in quo, primo dari Jus Naturæ quod omnes homines vinculo quodam adtrahit, deinde, ejus unicum & verum principium, esse *Voluntatem Dei*, non custodiam Societatis, porro, illam variis modis, vel ex verbis, vel factis Creatoris probari, & denique, illam esse vel præcipientem, ex qua necessitas agendi oritur, vel permissentem, qua Deus liberam agendi facultatem homini permittit, aperte & clarissime ostensum est. Contra hanc differ-
ta-

tationem præcipue* *Vir Magnificus JACOBUS FRIDERICUS LUDOVICI, fctus & Antecessor Halensis nunc Giffensis, celebratissimus, nec non Consiliarius intimus Darmstadinus, in delineatione Juris Divini Naturalis & Positivi Universalis* dubia quædam, maxima modestia animique moderatione Perillustr. COCCEJO obmovit, & *Pufendorffium*, qui ex *Grotio* pro genuino, manifesto & adæquato principio *Societatem* fatetur, tenaciter defendit; At singulas objectiones *Perill. Dominus SAM. de COCCEJI*, magni Henrici, haut minor filius, in *dicti tractatus Parte 2. Sect. 2.* & postmodum, novam responsionem Ludovicianam in *Resolutionibus dubiorum circa hypothesein de Principio Juris Nat.* Anno MDCCV. pari humanitate doctissime diluit, & custodiam Societatis neque esse principium Juris Nat. effendi, neque cognoscendi per integrum tractatum ingeniose demonstravit, in quo Statu doctum illud litigium hucusque permansit. Licet autem hæc ab *HERTIO, LEIBNITIO, & LUDOVICO de Juris Nat.* vero ac genuino principio in vestigando, mota dubia, non ipsi *summo HENRICO Parenti*, sed *Perillustri ejus filio SAMUELI*, unice adscribenda sint, quia tamen causam communem inter *hunc & illum*, cujus ille *primus Inventor* extitit, doctissimisque rationibus pro tuenda sententia munivit, concernit, illa hic paucis repetere necessum duximus.

Aliam disputandi ansam, præbuit novissime, *Legatorum delinquentium materia*, de qua *Noster* Anno MDCLXXXIV. & MDCXCIX. duas doctissimas dissertationes publici juris fecit, in quibus, non tantum Legatorum sanctimoniam, verum etiam spinosam & inter DD. valde agitatam quæstionem: *An Legatus, a Principe, ad quem missus, ex delicto, vel contractu puniri & conveniri queat?* cum reliquis juribus ac immunitatibus, more suo perquam solide ex intimis Juris Gent. visceribus eruit, ac contra

(4) Cum
larvato
Cassio.

* Prout enim Doctores Germaniæ communiter sententiæ *Grotii* & *Pufendorffii* adstipulantur, ita plures hodiernum illi adhærere, novamque demonstrationem Coccejanam rejicere maluerunt, inter quos *Illust. Kulpifus & Excell. Thomafus*, quorum tamen sententia in *Prodromo Justit. Gent. Exerc. 1. & Anton. Jur. Gent.* solidis perquam rationibus refutata & emendata,

Grotium, qui in *Lib. 2. cap. 18. §. 4.* pro negativa militat, affirmando simpliciter decidit, hisce argumentis:

(1.) Summam potestatem, humano generi & cuique societati in suos cives concessam, illamque, certis territoriorum finibus circumscriptam esse, hinc Imperium orbis particulare in omnibus personis, quæ ac quamdiu ei subsunt, & in omnibus rebus, quæ hoc terrarum spatio includuntur, fundatum esse, cui potestati, si quis Legatum, qui ea, territorium ingrediendo, arctissime concluditur, eximere velit, exactam ei probationem incumbere, ex *Jure Nat. instituendam*.

(2.) Istam probationem, hoc non induci argumento: Quod Legatus sit sanctus, & sic inviolabilis. Nam sanctus est, qui ab injuriis defenditur, non qui à juris executione immunitatem habet, neque qui contra jus securus, sed qui contra injuriam. Legatum potius gaudere securitate in sui favorem, non in alterius damnum, nec ejusdem sanctimoniam delictum excusare, & ita Legatum delinquentem, neque sanctum, nec injuste agentem justum per naturam vocari posse.

(3.) Sanctum idem esse ac inviolabile, nihil autem violare, qui jus exequitur, jurisque executionem injuria carere. Quin

(4.) In territorio, non nisi unam esse summam potestatem, imo contradictionem involveret, summam absolutamque habere potestatem, & tamen id, quod ea concluditur, illa non comprehendendi.

(5.) Hoc privilegium Legatis à natura constitutum, non plus sanctitatis inferre in bello inter hostes, quam in pace inter amicos scil. securitatem; Talem E. sanctimoniam, tollere jus belli, scil. promiscuam nocendi licentiam, non pacis, in qua delinquentes puniri possunt. Accedere

(6.) Ipsum Principem, in alieno territorio existentem, privatum esse, nec quicquam juris in eo absque læsione Imperii dare executioni posse, hinc multo magis Legatum principem suum repræsentantem potestati territorii, in quo degit, tum quoad delicta, tum quoad contractus subiectum esse debere. &c.

Equidem, cum *Legati Suecici*, COMES de GYLLENBORG & LIB. BARO à GOERTZ *Minister simul Holsaticus*, ob agita

ta in Anglia clam confilia, de excitanda seditione, ac reducendo in Scotiam *Pratendente, sive S. Georgii Equite* vulgo dicto, in custodiam dati fuissent, reliqui exteri Legati, solenni intercessione apud Regem cauti sunt, ne quid contra jus Gent. in captivorum immunitatem statueretur, imo Holsatiæ Ducem de violato Legatorum jure conquestum fuisse, & Ministrum Suevicum apud *Præpotentes federati Belgii Ordines*, aliquoties declarasse vim juri Gent. & Regis sui Legatis fieri, *Magna Britannia Monarcha*, subinde in contrarium nitente, nihilque quod promeriti non sint, Legatis fieri adseverante, elapsis paucis annis relatum accepimus. Quæstio igitur, de judice Legatorum, inter potentissimos *Magna Britannie & Suecia Reges* acerrime ventilata, an Legati captivi ex delicto, quod in loco legationis commiserunt, à Rege ad quem missi, puniri de jure poterint? Quo celebri negotio, cum varia scripta, quorum sæpe numero ingens solet esse multitudo, in publicum prodirent, inter alia, quidam sub STEPHANI CASSII nomine latens, in *Diatribæ de Jure & Judice Legatorum*, Anno MDCCXVII. edita, eorum immunitatem & impunitatem, tam ex Jure Nat. strictè sic dicto, quam ad gentes applicato, nimis extensè asserere, Grotiique conjecturas adversus disputationem COCCEJANAM de *Legato sancto non impuni* & Presbeutam (*D. ab Henniges de Jure Legat. Stat.*) vindicare conatus est. Attamen omnia, quæ contra COCCEJII sententiam certis ac firmis principiis innixam, moventur, in ipsa *dissertatione prælaudata*, & novissime, à JUSTO CHRIST. DITHMARO, Viro celeberrimo, in dissert. *de Legatis primi & secundi ordinis*, Francofurti Anno MDCCXXI. habita, exposita ac discussa sunt, ubi si æquus & peritus Lector, utriusque rationes absque contradicendi studio legat ac conferat, facile ei, quid verius, & ex ipsis thesibus, quid ad *larvati Cassii* æqualitatis aliaque vaga ac incerta principia respondendum, apparebit. Quid vero Leges Gentium circa insignem hanc materiam ulterius determinent, uberius in illa, quam perficiendam SUMMUS COCCEJUS jam dudum animo ruminatus est, *Justitia Gentium*, mox Deo volente speranda, demonstrabitur.

E Juris Civ. materiis, celebrem illam controversiam, quæ in-

Contro-
versie Jur.
Civilis.

(5) Cum
Struvio.

inter *Noftrum & famigeratiffimum* STRUVIUM jam *supra laudatum*, intercesfit, primo loco referam. Hic nempe sub Henr. HAHNIO, Jcto notiffimo, de *damnis præcipue illis, quæ ex dolo, culpa, aut casu proveniunt. horumque correctionibus & præstationibus* Helmftadii inauguraliter difputaverat. Quam fententiam, cum in *Synmagm. Jur. Civ. Ex. 19. §. 41. & feq.* in quibusdam mutaffet, veramque deferviffet, CÖCCEJUS eundem refutare aggressus eft, confcripto ideo editoque Heidelbergæ MDCLXXII. tractatu, de *Doli, culpæ & negligentia præstationibus in quolibet negotio*, ubi refutata vulgari fententia, novam ex folidis tum naturæ, tum legum principiis, adstruxit & demonstravit, continetque tres differtationes, quorum *prima* receptam DD. & inprimis STRUVII fententiam, de præstatione doli, culpæ & negligentia in contractibus fuffit; *altera* novam fententiam proponit, quam *tertia* ad negotia fingula applicat. Afferuerat primum, *amiciffimus ille Antagonifta*, in focietate ac rerum communione levis ut culpa præftetur fufficere, in cæteris contractibus, in quibus vel folius accipientis, vel utriusque contrahentis, vel etiam aliquando folius dantis utilitas verfatur, etiam leviffimam culpam effe præftandam. Contra hoc assertum, infurgit NOSTER, notans, *contractus* ratione culpæ æquiparari non debere, fed in quibusdam contractibus culpam, in aliis diligentiam præftari, idque ex commodato *per L. 5. §. 2. ff. commod. L. 3. ff. de peric. & comm. rei vend. L. 47. §. p. ff. de Legat. 1. & fim.* ingeniofe probavit, maxime quoad actionum humanarum differentiam moralem. STRUVIUS igitur fententia CÖCCEJI, qui actionem hominis malam dari dixerat, licet animus agendi haud fuerit, multum adverfatus *in Decif. Sabbath. c. XI. dec. 34.* refponder: quod diligentia in Legibus eadem dicatur, quæ alias culpa leviffima, nifi quod in commodato folito, major præftetur diligentia, eo quod folius accipientis verferetur utilitas. *vid. Exerc. 19.* fimulque ipfam actionis relationem diftinxit, qua ad materiale iftius facta, actum obvenientem nude confideravit, detractis nimirum circumftantiis moralibus, quæ uti factum, ita & jus ejusdemque applicationem fecundum diverfa regularum principia examinant, atque fic legi fecit actio-

actionem contrariam: alio modo, actionem in complexu morali, accedentibus omnibus circumstantiis, in sua forma intueretur, & sic, respectu isto habito, actionem in se quidem physice ac naturaliter unam, sed moraliter, & quoad formale diversam, diversimode judicat, & actionem dicit bonam, ita, ut reatum nullum in agentis conscientiam inducat, sed ipsum, casu quasi tacito, infelicem excusat, & commiserandum magis, quam culpandum asserit. Attamen, ut reliquas dissensionum materias, num scilicet, focordia, rusticitas &c. culpam faciant? item, an negligentia à culpa sit distinguenda? ac, an culpa levis & levissima differant? nunc mittam, COCCEJUS tandem, Anno MDCLXXVII. eruditissimam responsionem suam, scilicet. *Collationes Juridicas, ad Celeberr. Virum Dn. Struvium* in lucem publicam emisit, in quibus, universam culparum materiam, à prima origine, paucissimis luculenter satis deduxit, defectus, in ea hactenus existentes, curate supplevit, & quæstiones controversas, quæ *Decisionibus Sabbathinis* opponuntur, solidissime ventilavit, nimirum; tota hac materia pro fundamento paulo latius deducta: (1.) *An actio alicujus possit esse mala, & tamen ipse non male agere?* (2.) *An imperitia, simplicitas, rusticitas, &c. potius minuunt culpam, an intendunt?* (3.) *An culpa lata, conjuncta sit cum aliquo proposito & proæresi?* (4.) *Quomodo conveniant culpa, que in deposito, & ea, que in societate præstatur, & quomodo differant?* (5.) *Quomodo dolus cum metu concurrat, ubi iterum queritur de proposito late culpæ?* (6.) *Quæ culpa in pignore præstetur, & quid sit negligentia?* (7.) *An inter negligentiam & culpam differentia quedam statuenda? ubi (8.) plenissime sententia, quæ confundit levem & levissimam culpam, refutatur, & contraria curate solvuntur. Denique (9.) Quibus casibus lata culpa comparetur dolo? ubi sex quæstiones notabiles proposuit.* In quibus omnibus, B. STRUVII dubiis, plenissime satisfactum fuit. Cæterum, licet filius ipsius BURCHARDUS GOTTHELFF STRUVIUS, Vir, fama non minus, quam munerum amplitudine celeberrimus, in *Biblioth. jurid. select. c. 6. §. 48. de novo*, in COCCEJI sententiam ealatum strinxerit, dubia tamen illa, quæ recapitulationem ante dictorum con-

tinent, in corollariis disputationi, *de jure alluvionum in imp.* annexis, à *Nostro* solide resolvuntur.

(6) CURS
Hertio.

Quantum porro ad Testamentorum materiam, COCCIJUS, ad Lauterbach. *tit. qui testam. fac. poss.* & in disp. Anno 1687. edita, *de justitia Belli & pac. in statu Regni Portugallia fundata, sect. 1. art. 1. qu. 4.* egregie notavit: Testamenta origine, non Juris Gent. sed J. positivi ac voluntarii esse, quia testamentum, est dispositio quædam, quæ mortuo demum disponente, vim capit, aut incipit, quod naturaliter fieri nequit, nec dispositio aliqua, eo tempore incipere potest, quo disponentis amplius non est; Deinde, cum testamentum valeat, ac subsistat ex sola unius acceptatione, id quoque juris positivi esse, cum naturaliter nulla dispositio inter homines, qua, de jure ab uno in alterum transferendo agitur, valeat, nisi utriusque consensu, adeo, ut quamdiu pars altera nondum acceptavit, tota dispositio, ex ratione naturali, ipso jure, nulla sit, nullamque penitus vim habeat. Inde igitur sequi, quod summi illi Principes, qui nullo jure Civili, sed naturali obligantur, ex testamento efficaciter non teneantur, nec in eorum præjudicium illa valere possint. Cui sententiæ, cum *idem supra adductus adversarius Dn. HERTIUS*, in citata disputat. *de Socialitate, primo juris Nat. principio, Sect. 3. §. 20.* in opusculo selectorum & rariorum, ex jurisprudentia Universalis, argumentorum, Anno MDCC. edito, reponeret: *Nisi recepta sententia admittatur, nullam etiam fore successionem ab intestato, cum & hujus fundamentum in voluntatis conjectura collocari soleat. Deinde, aliud esse, mortuo disponente, dispositionem incipere, aliud eo moriente, in testamento, non prius fieri, sed posteriorius. Recte autem veteres Philosophos, momentum moriendi, quo ultima voluntas vim ac robur nanciscitur, vitæ potius, quam mortis dandum censuisse, unde sequi, testatorem in ipso mortis articulo res suas heredibus quasi tradere. Postremum, ut acceptatio ab hærede in continenti fiat, non esse necessarium, nihil enim vetare, quo minus ea ex intervallo sequatur, modo alter inter ea non possit pænitere. Quæ dubia, summi HENRICI filii perillustres, stupendæ paternæ eruditionis hæredes haud dubii, JOHANNES GOTHOFREDUS, & SAMUEL, hic, in *Jure Controv. Civ. T. II. tit. qui Testam. fac. poss.**

poss. qu. 1. ille, in disput. de Testamentis Principum, contra HER-
TIUM, LAUTERBACHIUM & qui eos sequuntur, in fumos
abire jussere.

Neque ita multo post, dissertationem COCCEJANAM, de (7.) cum
Brenney-
sio.
Uso & differentia hodierna pactorum & stipulationum. Anno
MDCXCII. Francofurti habitam, impugnare ausus est in alma
Fridericiana, Dn. ENNO RUDOLPHUS BRENNEYSSEN
Sereniss. Ducis Frisæ Orientalis Regiminis, Vice-Cancellarius, in
disput. Halæ anno MDCXCVI. ventilata, de *Inutilibus pactorum*
Juris Romani divisionibus in foris Germaniæ c. 3. & 4. in qua,
uti alias, multa parum perpensa inveniuntur, ita inprimis do-
ctrinæ: Consensum scilicet ad permutandum nullam vim, obliga-
tionemque producere, quin, nec verum pactum, sed tractatum
esse, nisi aliud actum appareat, deinde, ad stipulationis substan-
tiam Jure Romano non pertinere, ut per modum quæstionis
fiat, valde insultatum est. At, quoniam, quæ contra illam à
BRENNEYSIO moventur in dicta dissertatione, satis exposita
ac discussa sint, ejusdemque rationes tantum non habeant pon-
dus, ut illis examinandis diutius immoremur, hinc ad disserta-
tionem D. JOHANNIS FRIDERICI JÆGERI, *Instit. Imperia-*
lium, in Alma Viadrina Professoris Ordinarii longe meritisissimi,
Præsidi Juris Consultissimo THIELENIO, Ao. MDCXCVII.
defensam, de *Citatione Judicis incompetentis*, peritum Lectorem
remittimus, ubi in mantissa, corollariorum loco, contra assertio-
nes istas, adversario brevissime quidem, at erudito responsum
est, nimirum (1.) Male dici, solum usum stipulationis apud Ro-
manos fuisse, ut tractatus inter partes habitos, ei includerent,
cum & perfectis contractibus, aliisque negotiis, adhibita stipula-
tio fuerit. (2.) Falsum esse, in *L. 71. Pro socio.* statui, emtione per
stipulationem inita, non dari actionem emti. (3.) Contradictor-
ium esse, emtione per stipulationem iniri, nihilque hujus di-
ci in *d. L. 71.* (4.) Et si consensus ad contrahendum, seu tractatus,
nullam producant actionem, male tamen inde inferri, nulla
pacta nuda actionem producere. (5.) Negari, omnia pacta nuda
intendere alium contractum, vel negotium. Negari (6.)
causam, cur alia negotia ipso jure tollantur, alia ope exceptionis,

ullo modo pendere vel à differentia eorum, quæ in jure & judicio fiunt, vel à formula judici data. (7.) Nec differentiam actionum b. f. & stricti juris pendere à formula data, sed è contrario, formulam à natura cujusque actionis. (8.) Differentiam denique contractuum nominatorum & innominatorum, non à Romanis confictam, sed inter Gentes receptam fuisse, & non tantum ipsam differentiam, sed etiam effectum pœnitentiæ in contractibus innominatis accuratissima ratione niti. *

(8) Cum
Pagenste-
chero,

Cæterum, *de diversitate rescidentis & rescissorii judicii, ejusque effectibus*, peculiarem dissertationem edidit COCCENJUS, Anno MDCXCII. Resp. Dno. *Wernero Justino Pagenstechero*, olim *illustris Gymnasii Steinfurtensis Professore juris ordinario, jam Dicastrii Hassiatici, quod Marpurgi est, Consiliario*; in qua probavit variationem hanc, cum in materia restitutionis integrum, tum querelæ inofficiosi & petitionis hæreditatis accidere, eamque distinctionem unanimi veterum consensu traditam, eoque in foro receptam, à recentiore schola in dubium vocari, quin à pluribus, ut ineptam, & ab ignorantia antiqui processus Romani profectam, rejici cœpisse, ideoque, cum confusis his judiciis, magna jurium effectuumque confusio sequatur, receptam vetusto usu sententiam, veteres JCTos adstruendo, à sinistris imputationibus vindicavit, & recentiores, separata hæc iudicia confundentes refutavit, diversosque effectus & jura ex utrisque resultantia recensuit, denique, querela inofficiosi & petitionis hæreditatis differentiam evidentissime exposuit, sed ita temperavit, ut distingueret, utrum quod amissum est, & ex delicto restitui petitur sit res, an actio? Priori casu, non opus esse duplex remedium statuere, altero, duplex omnino iudicium videri elegantissime enodavit, in *all. disp.* Hanc, in primisque textus juris, in *sect. 2. §. 10. & seqq.* citatos, quibus hæc sententia confirmatur, impugnavit postmodum *Respondentis* frater Germanus Dn. ALEXANDER ARNOLDUS PAGENSTECHER JCTus & Antecessor, dum viveret, in *Academia Groningana celeberrimus in Manip. tertio scilicentor. ad com-*

* Facit hic Magnifici *Henr. Bodini* JCTi & Antecessoris Halensis celebratissimi, *disp.* anno 1696. contra *Brenneysium* ventilata: *Vindicias pactorum juris Rom. exhibens*, nec hodie, ex nudo pacto actionem competere demonstrans.

compend, juris Lauterbach. p. 50. seqq. ubi statuendum putat, unam tantum lælo dari actionem, indistincte, sine distinctione scil. inter amissam restituendamque actionem, & rem aliam, quod Autoritate ac fundamento recentiorum Jctorum adstruere conatur. Cui quidem, cum NOSTER majoribus rebus impeditus, hætenus nihil reponere potuerit, prælaudato *per illustri FILIO juniori*, hanc detulit provinciam, ut ea, qua pollet eruditione, adversario doceret, quid rei esset. Rem adgrediebatur *Vir Excellentiss.* conscripta refutatione, quam in *jure Controv. Civ. Lib. IV. tit. 2. q. 3.* invenies, mole quidem non magna, sed eliminata ea atque doctissima, sive enim justam materiæ pertractationem & rationum contrariarum everfionem, sive sermonis venustatem & verborum connexionem, sive grave, quod spirat judicium, & cum gravitate nexam modestiam spectes, omnia dicto loco reperies egregia. Talis enim tractatio, decebat hanc materiam, cum adversarius à modestia non minus, quam eruditione merito commendandus erat.*

In materia pœnarum, contra Doctorum scholam, Noster non absque fundamento statuit, ad suspendium damnatus, quod, si rupto laqueo vivus in terram decidat, iterato suspendi non debeat, sed, quod causa cognita, denuo statuendum sit. *vid. disp. de jure & facto coroll. 2. & disp. de jure Belli in amicos coroll. ult.* Verum, hoc assertum, GOTHOFREDUM STRAUSSIUM *ICtum & Doctorem Vitemburgensem* adeo offendit, ut nondum rite cognitis sententiæ rationibus, non expresso COCEEJI nomine sub voce: *NONNEMO* in *disp. de arbitrar. action. corollarium III.* ei opposuerit, cum communiori Doctorum opinione ratus: furem de novo suspendendum esse ex formula expressa, tum *Ord. Crim. art. 192.* tum ipsius sententiæ; *Daß er mit*

(9) Cum
Strauffio.

* Non sumus necii, Virum Excell. *Nicolaum Hieron. Gundlingium* in tract. de Efficientia metus, c. 6. §. 20. laudatam per III. COCEEJI disputationem, de *Diversitate Judicii rescindentis & resciss.* Anno 1711. quoque impugnasse, sed tota lis ex summi Parentis & filii scriptis facili negotio confutatur, ubi, si doctus Lector à studio contradicendi alienus, utriusque sententiam cum argumentis Gundlingianis conferre velit, concietim, quid verius, & ex principiis ac thelibus quid ad opposita dicendum, apparet.

dem Strange vom Leben zum Tode zu bringen / idemque non tantum usu plerorumque locorum observari solere, sed & statutis nonnullis firmatum, ac ita decisum esse. At, *SUMMUS NOSTER* in peculiari disput. Anno MDCXCVII. conscripta, de *proportione furti ac suspendii rupto laqueo*, STRAUSSIO, insigni eruditionis acumine ostendit, de hoc usu, rationi juris, ipsique adeo sententiæ in delinquentem latæ, repugnante, plane non disputari, sed de ipsa interpretationis qualitate, quæ ex canonum doctrina, etiam in corruptelam abire solet, adeoque minime probandam esse Judicum illorum consuetudinem, qui eo opinionis errore, quod juri ac rationi id convenire, atque ex formula sententiæ in *cit. Ord. Crim.* præscripta, sequi existiment, fures absque nova causæ cognitione iterum suspendunt. &c. Jungantur hic corrolaria dissertationis, de *Remedio L. 3, 6. Comm. utr. Jud.* in quibus omnibus *acutissimus* COCCEJUS eandem sententiam totidem fere verbis repetendo, *adversarium Straussium* refellit.

(10) Cum
Linckero.
Contro-
versia Juris
Canonici.

De insigni ac pererudita illa juris Canonici disceptatione, inter SUMMUM COCCEJUM & *incomparabilem illum totius Germaniæ* *ICTum* Illustrissimum Liberum Baronem NICOLAUM CHRISTOPHORUM LYNCKERUM *Antecessorem olim Ienensem celebratissimum, jam Consiliarium Imperii Aulicum,* nonnullis abhinc annis ventilata, ut & hac controversiarum serie aliquid referamus, præsentis instituti ratio postulat. Ediderat COCCEJUS, Anno MDCXCIV. disputationem de *Finitibus bonæ fidei in Præscriptionibus de Jure Canon.* qua ostenderat, Jure Canon. possessori rei alienæ, omni tempore necessariam esse bonam fidem, non tantum in vera usucapione, de quo constat, sed & in præscriptionibus istarum actionum personalium, quibus is convenitur, qui rem alienam tenet, vel possidet, uti ex causa depositi, commodati, pignoris, locati, & simil. non vero, quibus is convenitur, qui nihil alieni tenet, sed de suo præstare obligatus est, ut ex mutuo, stipulatu, emti, venditi actione &c. cum is non sit alienæ rei possessor, ubi simul præscriptionum differentia, finesque bonæ fidei in usucapione utroque Jure, ut & in præscriptionibus actionum personalium cum usu fori pro-

propositæ & examinatæ fuere. Huic disputationi, *Excellentissimus* BARO LYNCKERUS, tum temporis *Ordinarius Iemenfis*, Anno MDCXCVI. aliam de *Bona fide in præscriptionibus, tam Iure Civili, quam Canonico necessaria* opposuit, in qua asseruit; Jus Canonicum non requirere, neque surrogare disputationes ac probationes, per totum temporis tractum bonam fidem adfuisse, indeque rationem Juris Canonici, quod hic periculum animæ vertatur ex *Epist. Pauli Rom. XIV. v. fin.* ubi, non de fide salvifica, sed de bona fide mentio fit, immerito reprehendi, cum omne id, quod contra animi nostri conscientiam fit, peccatum sit: Jus Canon. enim magis consulere conscientiæ, quam Jus Civ. quod ab initio duntaxat bonam fidem requirit. Tutius vero esse, rem alterius nostram facere, perpetuo subsistente opinione dominii, quam solum ab initio hoc credere, & postmodum, licet rem alterius esse sciamus, nihilominus tamen illi, ceu rebus alienis inhiare. Porro, consistere hoc in quæstione, An dubitans sit in bona fide, ut usucapere possit? Jurisque Canon. præceptum firmari ex canonum intentione, qui consulere conscientiæ volunt, cum bona fides spectet ad justitiam præscriptionis. Præterea, rationem *Coccejanam ex L. 109. ff. de V. S.* qua probatum, de bona, vel mala fide tum non quæri, cum quis rem suam alii debet, in dubium vocat, quod *d. Lex* agat de casu speciali, quo quis, emit rem alienam ab altero non domino; sufficere ad bonam fidem, si adsit scientia juris alieni. Imo, quoad ipsum effectum non interesse, si quis rem alienam habeat, si ve alteri debitam, & Jure Civ. & Canon. utrumque æqualiter teneri ad restitutionem. Denique eandem injustitiam esse, si ve quis utatur re aliena, si ve propria alteri debita, etiam citra interpellationem, cum debitor rem cum fructibus restituere teneatur, *per L. 13. & 16. C. de act. emt. L. 38. §. 7. de usur.* At, totum thema controversum, rationesque ad sententiam probandam allatas, ab omnibus hisce dubiis perquam solide vindicavit COCCEJUS in disput. altera *de Finibus bonæ fid. in præscript. de Iure Can.* Anno MDCXCIX. habita, ubi *cap. 4.* expositum, an res propria, sed alii debita, in sensu legali, dici res aliena possit, aut Jure Canon. vocibus rei alienæ comprehensa fuerit.

Nec

Contro-
versia Ju-
ris publici.

II. Cum
Textore.

Nec minus in *Juris Publici disciplina*, defuerunt disceptationes quædam, quibus stupendam prudentiam suam **NO-STER** erudito orbi probaret. Inter fortissimos enim, quos Heidelbergæ statim nactus est adversarios, primo loco nominandus venit **D. JOHANNES WOLFFGANGUS TEXTOR** *Consiliarius quondam Regiminis Electoralis Palatini & Professor in alma Heidelbergensi Ordin. postea Reipublicæ Mæno-Francofurtanæ Syndicus*, cum quo, prima disputatio intercessit circa materiam *Austregarum*, an his scilicet competat jurisdictio & executio? in qua **COCCEJUS**, negativam rectissime defendit, his rationibus, *disputationi de jure omnium in omnia*, Anno **MDCLXXIII**, Heidelbergæ ventilatæ annexis.

I. Quia jurisdictio, in usu juris semper intelligitur cum aliqua potestate, seu Imperio, *per L. 2. de juris d. L. 1. inf. L. 5. §. f. ff. de offic. ej. cui.* atqui Austregis, nullum competit Imperium in partes, v. gr. Principes, qui hoc tam sollicitè non petierunt, ut alius in se haberet Imperium, sed tantum, ut causa disceptaretur in prima instantia, indeque beneficium Appellationis competeret. Neque sane, Principibus hoc esset privilegium & beneficium, uti tamen laudatur, *Ord. Cam. P. 2. tit. 4. §. 4.* Sed onus maximum, alterius Imperio subjici, nihilque inconvenientius, quam Consiliariis, qui aliquando Judices sui Principis sunt, Imperium concedere in suum Principem. Quin & *Austräge der sachen*, tantum sunt *Erörterungen*, vel decisiones causarum, non Imperium, quod nullibi iis concessum legitur.

II. Austregis non competit executio. E. nec Jurisdictio, quæ sine executione nulla est, *per d. L. 5. inf.* in qua, coërcitionem idem esse, quod executio, ita demonstravit: Quod jurisdictio coheret, & cum ea simul mandatur, id nihil aliud esse potest, quam executio, quia post cognitionem causæ & pronunciationem, quæ nomine jurisdictionis propriæ continentur, (Jusenim dicere, & de causa cognita pronunciare, idem sunt, *arg. L. p. de l. & l.*) nihil superest, quod simul mandetur, quam executio. Atqui coërcitio, in *d. l. 5.* dicitur simul cum jurisdictione mandari, quæ paulo ante in *d. l.* vocabatur Imperium. E. coërcitio, ibi idem est, quod executio. Deinde, ibi agi de coërci-

ci-

citione, (scil. Jurisdictioni cohærente, quæ est ipsa sententiæ executio.) qua quis cogitur jus dicenti, ejusque sententiæ parere, scil. Magistratui, cui concessa erat jurisdictionis, etiam concessa erat potestas coërcendi, haud obtemperantes sententiæ. Denique, per illam coërcitionem, nihil aliud intelligi, quam pœnam, cujus exactio, species executionis est; & qui pœnam exigere potest, multo magis mittere poterit in bona, & reliquas executiones facere, quæ leviores sunt, per *L. 21. de R. I.* sed & pœnam, ibi non posse intelligi, patet *ex L. 1. pr. si quis Ius dic.* quædam enim jurisdictionis, scil. Duumvirorum, est sine pœna, sed nulla est sine coërcitione. *d. L. 5.*

III. Per *L. ult. C. ubi & ap. quem.* ubi Judices, qui habent solam judicandam facultatem, dicuntur propriam Jurisdictionem non habere, unde sequi, quod Austregæ, hanc solam habeant; non Jurisdictionem. *vid. disp. COCC. de Austregis. §. I. & pass.* Hoc thema, parvis hinc inde editis scriptis * primum ventilatum, TEXTOREM commovit, ut contra *Nostrum*, ita infurrexerit, & ad *Coccejani corrolarii* rationes tres, sequentia notaverit.

(I.) Principes non petiisse, ut Camera Imperialis exequatur sententias Austregarum, unde sequi, illam executionem Cameralem jure non obtinere, beneficium enim istud non consistere in hoc, an Austregæ, simplicem habeant notionem, an veram jurisdictionem, sed potius in gradu distincto primæ instantiæ, qua Principes Imperii gaudeant, ne ea in re deterioris sint conditionis, quam privati; imo, si Austregis saltem esset simplex notio, qualis olim erat pedaneis Judicibus, possent causæ, ad Tribunalia Imperii juste advocari, ab Austregis, & juste; quid Austregales Judices decernere deberent in processu, ipsis ab Aula Imperii injungi. Ubi distinguit *quatuor* Austregarum legalium *casus*, in quorum tertio, inter octo Austregarum modos, unus aliquis præscriptus est, de novem Principum Consiliariis adsciscendis vice Judicum, & Principibus liberum esse, coram illis comparere, nec ne, imo, Principes hunc modum Austregalem

m

lem

* Conf. hic *parerga*, disput. *de jure postliminii*. 1673. Heidelbergæ habitæ, annexa,

lem, contra minores Status, valde probasse. *O. C. de an. 1495. tit. Wir Prelaten, Graffen/ 2c.*

(II.) Negat, coërcitionem & executionem unum idemque esse, item jus dicere, & de causa cognita pronunciare, neque proprie loqui Jctum, *in d. L. 5. ff. de Offic. ej.* de coërcitione eorum, qui sententiis non parent, sed potius mentionem fieri de coërcitione in genere. Si quis E. refractarius sit, adversus primum, vel secundum decretum ante sententiam, is tum potest coerceri juxta *d. l. 5.* licet sententia nulla lata, multo minus executioni demandata sit. Hinc, merito negari istam consequentiam: Austregales judices, non habent executionem, E. nec jurisdictionem, cum sint Commissarii Cæsaris, non obstante electione. *O. C. de Anno 1495. rubr. Wir Churfürsten/ Fürsten 2c.* & quidem tales, quibus tota causa demandatur, ut propterea ipsis etiam competat jurisdictio, *ex c. 5. & c. 20. X. de Offic. & pot. Jud. del.* Porro, non sequi coërcitionem, quæ pœna est, hujusmodi refractariorum esse idem ac executionem sententiæ, quæ ipsum punctum principalem concernit, quia sæpe diversa jura, vel actus jurium, competunt uni eidemque Magistratui, uti, quando quis in pœnam declaratur. Denique non esse, quod existimetur, coërcitionem ideo pœnam esse, quod pœnarum exactio sit executionis species, quia distinguendum, inter pœnæ indictionem & exactionem, utramque jurisdictionis veræ esse, dicique non posse executionis speciem; insuperque nullam esse consequentiam, hoc in passu, exinde enim quidem sequi, jurisdictionem non esse pœnam, utpote, cum separata esse queat ab hac, non vero ipsam coërcitionem non esse pœnam, neque Duumviris jurisdictionem largiori modo, nec pariter competiisse, ut aliis in jure Magistratibus. *arg. d. L. 26.*

(III.) Negari, Austregas solam habere judicandi facultatem, de hoc enim quæri, an non habeant veram jurisdictionem? Inde tantum concludi, quod Austregæ non habeant propriam jurisdictionem, atqui hi, qui mandatam jurisdictionem habent, etiam dicuntur propriam non habere, de quibus tamen certum, quod utantur jurisdictione vera, licet non proprio, sed mandantis nomine, sicut Austregales Judices nomine Imperatoris committit.

mitentis. &c. Has igitur, similesque objectiones, COCCEJUS tandem Anno MDCXCIX. in disput. de Notione & Executione *Aufregarum*, pro more, breviter & succinctè resolvit, & novissime in *Jure Publ. C. XXXII. §. 34. seqq.* sententiarum executionem *Aufregarum* Judicibus firmissimis argumentis contra TEXTOREM, plane abjudicavit.

(12.) Cum
codem.

Alterum litigium ortum est circa numerum populorum Germaniæ, & exinde resultans *Circularum, Electorum, Archiepiscopiorum secularium, Comitiorum, Iudiciorum Imperii, immediate nobilitatis &c.* discrimen. Hunc enim veteris Germaniæ Statum ad hodiernam rerum faciem non magis applicari posse, quam res priscorum Aboriginum, Rutulorum & Latinorum ad Statum Reipublicæ Romanæ, ideoque Pomponium illud in *L. 2 ff. de O. I.* omisisse, idem D. TEXTOR cum nonnemine, fide actorum recentiorum instructo existimavit. Hæc tamen frustra mota dubia NOSTER in *jur. Publ. c. II. §. ult. & in Autonom. jur. Gent. c. XVIII. §. 9. seqq.* admodum concinne diluit, quod nempe Pomponii consilium non fuerit, Jus Publ. totius Romani Imp. conscribere, sed originem Juris Civilis & Magistratum, qui tunc Romæ vixere, obiter tantum enarrare, & quod alii Autores, qui de Jure Publ. Romano, memoriæ aliquid prodidere, nunquam sane defecerint, siquidem, *Dion Cassius, Diodorus Siculus, & peritissimus Livius*, de Rutulorum, Aboriginum & similibus rebus, quorum nomen & Jus Pomponii tempore jam abolitum, satis evidentè tractarunt, qui plane non opus habuere, illorum originem disquirere, quia hæc Gentes, tum fuere extinctæ, quod secus de illis populis, de quibus jam quæstio est, & necessario, dum adhuc hodie supersunt, requiritur. Magisque hinc confirmavit sententiam, hanc VII. populorum Germaniæ divisionem, & sacrum quasi numerum, fontem esse ac basin universi Juris Publici Germanici, unde sumorum hujus prudentiæ capitum ratio accurate ducatur.

(13.) Cum
cod. Textorc.

Ultimam disputandi ansam, cum eodem TEXTORE, præbuit quæstio, de *Tutela Electorali*, quod scil. Principibus Novemviris minoribus, singularis tutela constituta sit, ad administrandum Archiepiscopium Electorale, sive jus Imperatorem eligendi

per *Aur. Bull. tit. 7.* ideoque dubia sua exhibuit, in *Jur. Publ. Stat. Imp. tit. 8. n. 127. & seqq.* ubi communem sententiam jactat, unicamque fere hanc rationem urget, quod Electorale Officium & Principatus, indivisibiliter cohæreant, itaque infert: Cui Carolus IV. tutelam officii Electoralis concessit, eidem & curam Electoratus, concedere voluisse videtur per *A. B. tit. 20.* deinde, allegat ex *A. B. tit. 7.* verba: *Tutor & Administrator*, quod hic, Provinciam, ille, personam respiciat, ubi multa alia fingit, & in vanum disceptat, quæ COCCEJUS, Noster nunquam statuit; Denique, ad Sigismundi *Bulle. §. 7.* respondet; differentiam ibi non statuit inter Archiofficium Electorale, & Electoratum, sed inter Electoratum aliosque Electoris Principatus, argumento vocis: *Aliis.* Ad hæc omnia tamen, nervosa responsione sua, non defuit NOSTER. in *Jur. Publ. c. ult. app. 2. per tot. in primis, §. 35. 36. usque ad fin.* ubi adversario plenissime satisfactum.

(14) Cum
Surykio,

Ob eandem autem quæstionem, denuo calamum strinxit, *vir Illustris, SAM. STRYKIUS, Augustiss. Pruss. Regis Consiliarius intimus, Antecessor ac Professor Primarius Halensis, Almæ Viadrinæ Doctor quondam laudatissimus*, qui, etsi COCCEJI sententiam in *jur. Publ. c. xxxix. §. 17. 18.* non improbabilem existimet, à dubiis tamen quibusdam non immunem, in disputatione Halæ MDCXCVI. edita, de *Tutela materna Principum Imperii*, modestissime profiteretur, rationesque, quibus probare annititur, tutelam Electoralem ab *Aur. Bulla c. 7.* constitutam, solum jus eligendi non respicere, in *cit. disp. c. 1. §. 13. & 14.* ita suppeditat. (1.) clarissime in *A. B. c. 7. §. 4.* caveri, quod frater senior, tutor eorum, scil. hæredum masculorum, & administrator existere debeat, ubi tutoris munus, personam, administratoris autem Provinciam ac jura, huic connexa respicere, contendit. (2.) cum tutela ad omnes Electoris filios hic extendatur, quod pluralis locutio innuit, neminem dicturum; ad solius officii Electoralis exercitium hanc tutelam pertinere. ut ita administratio procul dubio, territorium Electorale contineat. (3.) Nec aliud evincere verba finalia. *d. §. 4.* ubi, si Princeps Electoralis, justam ætatem attigerit, tutor jus, vocem & potestatem, omniaque ab ipsis dependentia, totaliter ipsi cum officio tenetur assignare. Idemque

que in *Bulla Sigismundi*, §. 7. clarius fieri, quæritque, quænam illa à jure electionis dependentia erunt, si Electoratus inde separatus sit? (4.) In *d. tit. 7. §. 2. inf.* Electore mortuo, Jus, vox & potestas electionis, ad filium primogenitum devolvi dicitur, nulla Electoratus facta mentione, qui tamen ibi exclusus esse nequit, idemque in §. 3. repeti. (5.) Nec interessè Imperii, in sola potestate electionis verti, sed ipsius Electoratus conservacionem pariter desiderari, quippe (6.) Jus & vocem electionis ab Electoratu nunquam separari posse. (7.) Obstare diploma Caroli IV. de Ao. 1356. die Joh. Domui Palatinæ datum, quo lis de Electoratu inter duos Rupertos deciditur, deque tutela Electorali ita disponitur, in verb. *Wenne aber derselbe ältere Sun 18. Jar. 1c.* adeoque tutelam etiam, ad territorium Electorale & omnia eo pertinentia, semet extendere. Imo (8.) si tandem proximo agnato, nihil amplius, quam administratio voti Electoralis relinqueretur, sequeretur, si testamento, quoad regimen Electoratus, nullus alius tutor datus esset, matrem Principis, Electoralis agnatis præferendam fore. &c. Hæc omnia tamen, acutissimus COCCEJUS, in *jur. Publ. c. XXXIII. append. II. §. 26. & seqq.* in compendio, STRYKIO admodum erudite resolvit, quæ, cum unicuique obvia sint, prolixiorem illorum recensicionem jam addere nolumus.

De Jure exequendi sententias, mortuo *Gustavo Adol-*
pbo, Duce Megapolitano lineæ Gustroviensis ultimo, nova quædam lis sese exseruit. Cum enim de successione in terras ipsius, inter Serenissimos agnatos, magna contentio oborta esset, summum Imp. judicium Aulicum, sententiam pro Domo Sverinensi tulerat, qua, *Dux Strelizensis*, acquiescere tergiversatus, executionem Imperii contra se obmoverat, quam *Augustissimus Cesar*, per Commissarium Ill. *Comitem ab Eck* fieri oportere contendebat. Quæstio ergo, hoc insigni negotio, in scriptis acerrime multumque agitata: *Num Imperatori, exclusis Directoribus & Ducibus Circularum, competat jus adhibendi, sive ablegandi Commissarios ad exequendas sententias Imperiales?* Affirmaverat illam, Vir illustr. BERNHARDUS JACOBUS MULTZIUS, *primum Regiminis Oettingici Director ac*

(16) Cum
Multzio.

Fata & Merita

*Consiliarius intimus, post Augustissimo Casari à Consiliis Imperii Aulicis, in tractatu: De officio Directorum & Ducum Circuli in executione sententiarum, in quo, Imperatorem sententias proprio motu exequi posse asserens, jura ejusdem nimis, quam par erat, extendere, & ita officium Directorum Ducumque Circularium in exequendo, omnibus modis deprimere videbatur. Tantum abest, ut justam sententiam foverit, ut potius statum controversiæ mutaverit, ex erroneis præmissis, falsas conclusiones deduxerit, & perversis legum fundamentalium explicationibus, contumeliosis item loquendi formulis, jura Serenissimorum Circuli Directorum fugillaverit. Negativam * igitur, contra illustrem adversarium tuitus est COCCEJUS, edito Anno MDCXCVIII. jussu publico scripto Germanico, sub titulo: Gründliche Behauptung des Reichs und der Cräyße Gerechtigkeit / die Vollziehung der Urtheile betreffend / entgegen einer ausgegangenen dissertation von der Cräyß, aus schreibenden Fürsten und Obristen Amt / bey Vollziehung der Urtheile. Quo publice repetitum, eo ipso summis juribus, quibus ex pactis publicis gaudet *Sacra Casarea Majestas*, nihil detractum iri. Cæterum, utriusque partis jura in scriptis ulterius defensa esse, non memini, imo totalis, per ipsam mox infectam transactionem à Ducibus Megapolitanis, sopita est.*

(16.) Cum
Datio.

Quantum ad originem Circularum Imperii, quomodo scilicet hoc à *Maximiliano I.* in peculiare Circulos divisum & relatum sit, COCCEJUS *in jur. Publ. c. IV.* pro ingenii sui sagacitate recenset, quod nempe istæ sex Provinciæ, sive Circuli, qui in gubernanda re Germanica olim concurrere, ipsam antiquam Provinciarum Germanici juris divisionem efficiant, quam Imperatorem *Maximilianum* non fecisse, sed dudum receptam è vetustissimo usu tantum recensuisse, *d. c. IV. §. 2. 3.* simulque terras

* Similiter Jura Circularum Imperii mascule defenderunt, dum executionem sententiarum circulis adscribunt, STRYCK. in tract. *De Jure exequendi sententias imperiales Directoribus Circularum competente*, & THOMASIIUS, in *Disput. de Officio Directorum & Ducum Circularium in executione sententiarum.* Halæ Vened. 1697. editis. Quorum tractatum robor, in nuce videas, apud Clariss. Pfeffinger: *In Not. ad Vitriar. Jus Publ. Tom. 2, L. 2. tit. 6. §. 16. p. 1106. seqq.* add. Bilderbeckii *Bibliorb. Juris Publ. p. 33.*

ras mediatas ab immediatis, probe distinguendas esse *c. ix.* accuratissime ostendit. Dn. JOHANNES PHILIPPUS DATT vero, *Sereniss. Ducis Württembergici in Superiori Consistorii consilio & Senatu Ecclesiastico Consiliarius*, in vasto, de *Pace Imperii publica*, Volumine, Anno MDCXCVIII. divulgato, *Lib. 1. c. 27. §. 36. 37.* Sententiæ COCCEJI, constanter contradicit, ac constitutionem Regis *Alberti II.* in Comitibus Lintiensibus, Anno 1438. latam, qua totum Germaniæ Regnum in IV. Circulos divisum contendit, quorum primus *Bavariam & Franconiam*, secundus *Tractum Rhenanum, Alemanniam & Sueviam*, tertius *Westphaliam cum Belgio*, & quartus *Saxoniam* complexus erat, ad auferendas scil. Statuum diffidationes, ex Aureæ Bullæ præscripto permissas, pro stabilienda ac firmanda sua opinione, allegat, in verbis: **So haben wir die Lande Unsers Reichs (usgenommen Unser Crone zu Beheim / und was dazu gehört / und unsere Vettern von Oesterriche) in vier Theil und Craysse gesundert und getheilet:** Insuperque, Gloriosissimum *Maximilianum*, de istiusmodi Imperii divisione parum sollicitum fuisse, fingit, utpote, cui antiquarum rerum notitia defuerit. At, illum fuisse Cæsarem prudentissimum, insuperque viris in historiarum cognitione valde versatis, suo tempore varia distribuisse præmia, imo ipsa antiqua diplomata perlustrasse *Bilib. Pirckhaimerus*, qui Maximiliano, teste *Frebero*, à Consiliis sanctioribus fuit, dignis elogiis non satis deprædicare potest. Quapropter, SUMMUS COCCEJUS, in æterno *jur. publ. opere c. 33. append. 3.* & postmodum, in *Auton. jur. Gent. c. XVIII. §. ult.* summo jure DATTIUM brevisime refellit, ac constitutionem illam *c. 26 §. 14. de Pac. publ.* productam, ceu nudam & crudam hominis cujusdam delineationem, formulam aliquam concipientis nunquam editam fuisse, imo fictam ac spuriam illam divisionem, singulis Imperii Constitutionibus adversari, monstravit, dum illa formula lacerarentur ac mutilarentur Provinciæ Germanicæ, adeoque terræ mediatæ, cum immediatis prorsus miscerentur, quod in insigne Statuum Imperii præjudicium factum fuisset. Licet quoque circa antiquam populorum Germaniæ divisionem, nec non de origine ac Con-

sti-

& Webe-stitutione Circulorum, Celeberrimus IMMANUEL WEBE-
 19. RUS, *ſctus ac Profefſor Giſſenſis* in Diſſert. Anno MDCCIII.
 ventilata, de *Turbatis Imperii Circuliſc.* i. §. 6. & 7. adſtipulan-
 te Dn. DATTIO, ejuſque allata Conſtitutione, contra incom-
 parabilem noſtrum antiquitatum Germanicarum ſcrutatorem,
 nonnulla attulerit, cupidum tamen Lectorem, ad *civ. cap. 18. Au-
 ton. jur. Gent. & d. §. ult.* remittimus, ubi adverſariorum dubiis
 prolixè & ſolide perquam ſatiſfactum.

(17.) Cum
 Tolnero;

Porro hiftoriam VII. Provinciarum Germaniæ ac terræ
 Rhenenſis, ſufficientiſſimis Autorum coævorum testimoniis
 pertexuit NOSTER, in *Jure Publ. c. 3.* & inter varia Provin-
 ciæ hujus fata, quomodo poſt Carolingos Gieſelbertus Lotha-
 ringiæ Dux eam aliquatenus ſuſtinuerit, tandem vero à Saxo-
 nibus cum Eberhardo pulſus perierit, & hoc perturbato rerum
 ſtatu, familia Francica diu latuerit, terra adeoque Rhenenſis in
 varia Dominia poſtmodum divulſa ſit, accurate recensuit in *d.
 jur. publ. c. III. Sect. 7. §. 94. ſeqq.* Hanc ſententiam, valde re-
 prehendit Clariff. CAROLUS LUDOVICUS TOELLNE-
 RUS, in *Hiſtoria Palat.* Anno MDCC. publicata, ubi *c. 1.* Her-
 mannum & Ezonem quendam, ſive Ehrenfridum, cui Ottonis
 III. Imperatoris ſoror Mathildis, invito fratre, nupſit, & quem
 Arnolphi Regis primum, deinde Ducis Baviariæ ex Hermanno
 filio, nepotem fingit, fuiſſe veros & antiquiſſimos Comites Pa-
 latinos Rheni aſſerit, item *c. 6. p. 168. & c. 7. p. 178.* dictum Gie-
 ſelbertum, officio Comitum Palatini functum fuiſſe, negat, ac pro-
 ſcripto Eberhardo, dignitatem Comitum Palatii non interru-
 pta ſerie in Hermannum Bavarum, Anno 939. ejuſque poſteros
 tranſmiſſam, eademque hos Duces, ſemper autoritate fuiſſe,
 qua Anteceſſores ſub Carolingis fuere, contendit. Ad quod aſ-
 fertum, hac potiſſimum ratione, inductus eſt, quod Eberhardus,
 ejuſque allegati ſucceſſores, Comites Palatini, expreſſe appellen-
 tur, uti à *Ditmarolib. 2. & aliis.* Attamen, hos non Principes
 terræ Rhenenſis, ſed Præfectos Aulæ Regiæ, adeoque mera Aulæ
 officia fuiſſe, COCCEJUS in *J. P. c. XXXIII. append. 1.* probavit,
 & in primis §. 8. *cum ſeqq.* contra TOELLNERUM, quanta fieri
 potuit humanitate, docuit, neque Eberhardum, neque Herman-
 num

num ejusve filium Ezonem, neque Ottonem Wittelsbachium fuisse Principes terræ, aut Comites Palatii Rhenensis, maxime enim officia Regni, ab Aulicis distinguenda esse, cum illa sint Imperii, & dependeant à Statibus, hæc à solo Rege, reliquisque ut superioribus pareant: Et hac distinctione præsupposita,* totum certamen facile uno negotio dirimi credidit *consummatissimus Juris Publ. restaurator*. E contrario, non acquievit TOLLNERUS, sed de novo COCCEJUM adrofit, ac editis *additionibus ad historiam Palatinam*, ex professo prolixam replicationem adversus *d. c. XXXIII. App. I.* ei attextuit. At, cum postmodum alia adversus dictam appendicem ederentur, quæ propius ad Juris publici momenta accederent, & pleniorum enodationem lucemque vere requirere visa essent, opportunum credidit NOSTER, ad hunc libellum pauca quædam monere, & digitos saltem ad fontes veri, unde ab adversario recessum est, intendere. Totam igitur tractationem, in *Auton. Juris Gent. append. II.* ad tria capita reduxit, ex quibus ad objectiones *Tollnerianas*, nihil fere in recessu habentes, non minus fuse, quam erudite respondit.

Pergimus nunc ad aliam controversiam, à Beato GOTTLIEB GERHARDO TITIO, *Acto & Antecessore Lipsiensi famigeratissimo*, non ita pridem motam, cui distinctio illa, in COCCEJI *Jur. Publ. c. IX.* usitata, in terram scilicet Imperii mediatam & immediatam, ob inconstantiam terrarum non placet, quam, licet plane non improbet, ad eam tamen, in explicanda Institutorum nonnullorum origine, non satis tuto provocari existimat, indeque in *Specimine jur. Publ. L. 1. c. 3. §. 25. 26. 27. 28. & 29.* prolixis verbis, istam distinctionem impugnare conatur, statuendo, hoc discrimine ideo vix niti licere, quia, si diversa illa connectendi ratio admitteretur, certum fit, quod illa non inconcussa steterit, idque Bavariæ, Sæviæ aliarumque Provinciarum exemplis, licet non satis accurate

(18) Cum Titio.

n

de-

* Ardua alias circa hanc controversiam quaestio est de Ezone, quem Tollnerus in Hist. Palat. Comitum Palatinum Rheni fuisse fingit, quam opinionem amplexus est *Illystr. Gundling. im Abrig zur Reichs Historie. Period. 4. p. 66.* ut & *Excellentiss. à Ludwig in German. Princ. L. 5. c. 1.* Inter cætera vero summi COCCEJI illud firmissimum, de inæqualitate conjugii, argumentum extat in *d. App. 1. §. 18. ex Ditmari Historiæ.*

demonstrare vult, contenditque, memoratum discrimen, non semper invariaturum durasse, quod axioma Regium, per plures iuerit familias, imo, illam Provinciarum diuersitatem, non adæquatam videri, neque omnes Germaniæ partes ea complecti, cum enim VII. illæ cardinales Provinciæ, varie distractæ, multisque partibus truncatæ sint, non liquere, qua formula, novi Status inde orti, Germaniæ uniti fuerint, adeoque potius inter Monarchiam & plurium corporum liberorum systema, Germania perpetuo velut fluctuauerit, spectata inprimis Præteritorum temporum ruditate. Denique, id tanquam non satis constans, neque eo licet admissio, tam exacte quid definiri posse, passim dicto tract. indicat, quod in Disput. *de Habitu territor. German. c. I. §. 72.* Lipsiæ Anno MDCCIV. habita, eodem sensu totidemque verbis repetit. At omnia, quæ à doctissimo aduersario, in contrarium moventur ita comparata sunt, ut SUMMO COCCEJO opposita esse, vix animadverti potuerit, nisi id additum testatumque fuisset. Omnia enim *Noster* abunde jam demonstravit, valdeque miratus est, omnia ita misceri, quæ sejunctissima sunt, ita vagari, ut nihil cohæreat. Interim, ut harum objectionum vanitas, uno conspectu, unicuique pateat, specialem, at brevissimam responsionem, in *Auton. Jur. Gent. supende illo eruditionis tractatu, & quidem integrum cap. XXV.* eis opposuit, ex quo TITIO plenissime satisfactum apparebit. Cæteroquin, hæc omnia plenius, in isto libro c. I. VIII. IX. XIII. XIV. XVI. & XIX. evoluit, in quo Juris Gent. fontes eo penitus recludere, sinusque intimiores ac recessus excutere visum ipsi fuit, non, quod ad mota dubia solvenda, eo opus sit, cum tanti illa non sint, & ex ibidem traditis ultro corruant, sed, quia hæc materia, cujus tam illustres effectus in Jure publico hodieque spirant ac vigent, inprimis digna videtur, quæ quod hæctenus factum non apparet, luculenter atque eo diligentius examini subjiciatur, quod, ea exposita, cum geminæ libertatis publicæ, & privatæ, & decantatissimæ inter Gentes Autonomiæ, sive formulæ suis legibus vivere, quæque inde pendent civitatis mediatæ rationes, tum
por-

porro ipsum, totius sinceræ prudentiæ legislatoriæ ac civilis caput appariturum, *Noster* existimaverit.

Historiam, veterum Germaniæ populorum, COCCEJUS, ^{(19) Cum Ludwigo,} pro more, in *Jure Publ. c. 2. & 3.* ex fundamento discussit, ibique non tantum Bojorum, sed & Moravorum ac Vandalorum originem Germanicam, nec non, quomodo horum sedes prope desertas Slavi, seu Venedi Sarmatiæ populi occupaverint, hique Imperium quidem Germanicum agnoverint, non tamen Jus civitatis Germanicæ habuerint, quinimo hodieque omnes Regni Moravici partes Slavici Juris habeantur, nec hætenus in Jus civitatis Germanicæ assumptæ, nec Comitiiis Regni unquam interfuerint, autoritate & fide optimorum Historico- rum munivit. Hæc sententia, cum *Illustri JOHANNI PETRO á LUDWIG, Augustissimo Prussorum Regi à Consiliis intimioribus ac Regiminis Ducatus Magdeburgici, Pro-Cancellario Juriumque Professori in Alma Halensi celeberrimo, Viro Amplissimos honores incredibili industria merito, in Germania Principe,* primum displiceret, tandem in disput. Anno MDCCIX. habita, *de jure suffragii Regni Bohemiæ, novissime in Comitiiis S. R. I. instaurati,* eandem refutare aggressus est, in qua *c. 2. pr. & c. 3. §. 2. & 3.* publice adseruit, pristinum in Comitiiis Imperii locum, Bohemo semper patuisse, quem pro arbitratu iterum occupare queat, nullo Ordinum Germaniæ intercessu, Bohemosque in Ordinibus Germanici Imperii fuisse; Bohemiam enim, vetustissimis temporibus Provinciis Germaniæ adnumeratam fuisse, eosdemque fines Germanos habuisse, quos ipsa Germania, & licet Bohemi diversis temporibus fuerint divertissimi, hos omnes tamen, Juris Germanici fuisse, &c. Adeoque firmum esse, ut persona imperans, imo populi, etiam Jus Provinciæ suæ, quam occupant, consequantur. Quoniam vero fundamento, *Vir illustris,* hoc dogma tueri potuerit, ex *Per-illustris COCCEJI Auton. jur. Gent. c. XVIII. §. 9. & c. XXI. §. 8. 9.* aliter sane constat, ubi veriorem sententiam præcipue literis *Ferdinandi I. ad Carolum V. perscriptis, coævorumque Autorum, in jur. Publ. c. XIX. §. 10.* adductorum testimonio, novissime evicit, rationesque in contrarium allatas, pere-

rudite destruxit. Ex quo interim Bohemia, in mutuam Imperii Germanici societatem, pleno Comitiorum Jure, D. VII. Sept. MDCCVIII. insigni Imperii & Regni ornamento, recepta fuit, totum illustre negotium, quod submisit venerari oportet, jam publice definitum est.

(20) Cum
Gundlingio.

Quoad materiam belli & armorum, putat COCCEJUS, in *Jur. Publ. c. XXIII. Sect. 1. §. 29.* Jus belli, eique annexa Jura, Statibus Imperii competere, etiam post pacem publicam, modo justa diffidatio præcesserit, nec judicis justitiæque copia adfit. Ubi in castris adversis conspicitur, *Excellentiss. Vir NICOLAUS HIERONYMUS GUNDLINGIUS, S. R. Maj. Pruss. à Consiliis intimioribus, Sacrique Tribunalis Magdeburgici Assessor, nec non Eloquentiæ & Antiquitatum in Fridericiana Regia Profess. Ordinarius*, qui, in *Tract. de Efficientia metus tum in promissionibus liberarum Gentium, tum etiam hominum privatorum &c. c. 2. §. 39. & 40.* contra COCCEJUM existimat, Status inter se, non habere Jus incutiendi metum, h. e. Jus belli offensivi, idque legibus Imperii adversari, exindeque concludit, nunquam Imperii membris integrum esse, vel publice, vel privatim, sociis collegisque incutere metum, antequam quid justum, quid injustum, judicis vox atque sententia, definiverit. Verum hanc opinionem dissentientem, NOSTER, in *Juris Publ. Prælectionibus*, perquam erudite refellit, ostenditque, eam constitutionibus Imperii non adversari, sed in Recessibus Imperii, & imprimis, in *Aur. Bull. tit. 17. §. 2. 3. & f.* fundari, ubi Statibus Jus belli s. guerræ confirmatum, & injusta saltem diffidatio, quæ nec ipsis legibus permittitur, excipitur, deinde, illam Constitutionem in *Reform. Friderici III. de anno 1442. §. 1. & ult.* denuo confirmari, ubi ad Auream Bullam provocatur, & id Jus, juxta formam in ea præscriptam, præmissa scilicet diffidatione, Statibus asseritur. Neque sublatam esse per Pacem publ. à Maximiliano I. promulgatam, per hanc enim, tantum prohibitum esse Jus privatorum & Nobilium, das Ritter oder Jaustrecht/ sive bellum intestinum, quo privati, autoritate propria, sibi jus dicentes, personales injurias, deprædationes, latrocinia & similia: gladio vindicabant. In cæteris, proinde Jus per Aur. Bull.

Bull. confirmatum, salvum mansisse, inprimis, dum in *Ord. Crim. art. 129. R. J. 1529. §. 4. R. J. 1530. §. 72. & Landfried. de anno 1521. pr.* eodem modo, ut in *A. B. d. tit. 17.* Jus belli conceditur, & injusta duntaxat diffidatio excipitur: *verb. Welchen jemand zc.* quam tamen, post publicæ pacis Constitutionem, sub Carolo V. editam fuisse, constat. Quinimo, in Capitulationibus Imperatoriis, concedi Statibus Imperii jus sequelæ, & præsidii, Ergo & jus belli, præcipue autem in *Capit. Joseph. art. 10.* ipsis, executionis via permittitur in subsidium. Accedere, quod, cum Imperator in propria causa auxilium Statuum imploret, & allegatæ Imperii leges, maximam partem post dictam pacem publicam latæ sint, in his omnia jura, juri belli annexa eis tribuantur. Cum ergo pax publica, tantum respiciat die *Abshaffung des Faust-Rechts/* omnino Statibus, Jus belli salvum manet, docente *Strauch. diff. Jur. publ. c. ix. §. 13. seqq.* Denique, non obstare *Instr. Pac. art. 17. §. 7.* ibi enim agi de casu ordinario, quando ordines, jus & justitiam adipisci possunt, qua ratione jus belli inre dictum, ut itaque tota, summi COCCEJI sententia, de casu intelligenda sit, quando nempe justitiæ obtinendæ copia non datur.

Uterius, non omittenda est disceptatio quædam, de Vandalia Provincia, à viris in historiarum studio alias versatissimis non ita pridem mota, cujus originem & incrementa COCCEJUS in *Jur. Publ. c. III. sect. 5.* scitissime explanavit, probavitque, Henricum, I. Marchiam Brandenburgicam, in Provincia Vandalica constituisse, capto oppido Brennaburgo, *Ducem* ei præfecisse, hancque adeo origine *Juris Germanici*, & Provinciam peculiarem, à Saxonia, Albi divisam fuisse, Misniam autem, & Lusatiam, *Juris Slavici* mansisse, eoque, nunquam locum & suffragium in Comitibus habuisse, Marchionem, tum nudi officii duntaxat nomē fuisse, indeque Marchiam Brandenburgicam *justum Ducatum*, ejusque Dominum Geronem, *Ducem* fuisse, eoque tempore, omnes Provinciarum Duces, non nudi officii jure, sed cum propria potestate Provinciis suis præfuisse, imo reliquos Scavorum Principes, Marchionem Brandenburgicum, ut primarium Provinciæ, hujus Ducem, agnovisse. Denique in mo-

(21) Cum
Geibnero
& Hechli.

numento, sive epigrammate sepulchrali, *Gerone* Ducem expressè nominari, ex quo illustris Dn. à LUDWIG, in Disp. de Formula Ducatus Brandenb. colligit, Marchiam Brandenburgensem, primarii Ducatus formulam habuisse. Etenim, de eximiis hisce honoris titulis, quibus perfunctus est, in Germaniæ Regno Gero, certamen quoddam coortum, inter NOSTRUM, & D. MICHAELEM HENRICUM GRIBNERUM, olim *ſc̄tum Witembergensem, jam aule Dresdensis Consiliarium & Tabularii Saxonicæ præfectum summum*, in programm. de Jure civitat. German. Lusat. competente, quod extat Tom. II. script. Lusat. Hoffmanni p. 273. & seqq. &, cum eo idem judicantem ac sentientem Dn. GOTHOFR. HECHTIUM, *Lycæi Luccariensis Rectorem clarissimum*, in binis dissertationibus, de *Gerone primo Lusat. Marchione, non Duce*, ante triennium editis. Complectuntur autem horum virorum dubia, suffragium, quod in Comitibus Brandenburgicos habuisse asserunt, at Misnicos & Lufatos tenuisse, COCCEJUS & LUDWIGIUS negant, ut enim Marchia Brandenb. Vandalici, adeoque Germanici Juris fuit, sic Misnicos & Lufatos Marchiones, ejusdem esse participes, quia fines Germaniæ omnes inhabitarunt. Deinde, inscriptionem istam sepulchralem, quæ Gerone rodæ conspicitur, HECHTIUS in dubium vocat, utpote à novo quodam autore, multo post Geronis excessum profectam, neque eum, neque Ottones I. & II. in tabulis & literis Ducis, sed *Marchionis* titulo usos fuisse, contendit, neque aliter judicare GRIBNERUM, qui Virorum illustrium, COCCEJI & LUDWIGII* sententiam in schediasmate de *March. Gerone l. cit.* itidem sub examen revocat, & hunc titulum, ab asseruntatione indoctorum monachorum arcessit, ac nonnulla contra Ducis nomen differit, quæ autoritate scriptorum, illorum tem-

* Ducis Geronis prerogativa, assentitur ille in Disput. 1713. conscripta, quæ inscribitur: *Henricus Auceps, Historia auceps*, ubi ait: Ottonem M. Gerone, non modo Marchionem Brandenb. sed etiam Magnifico ac Illustri Ducis titulo decoratum voluisse, quod argumentum pluribus in d. Disp. de Formula Duc. Brand. §. 4. persequitur, ibidemque copiose de Ducis titulo ac honore differit, à Magnifico HORNIO tamen, *Antecessore Witembergensi celeberr.* in Disput. Anno 1709. edita, de *Burggraviis Magdeburgicis* §. 10. refutatus est, qui integrum diploma Ottonis M. ex *Leubero* ac *Sagittario* repetit, existimatque, in antiquis monumentis, facile oculos decipi posse, & loco vocis *Duas*, *Ducis* legi.

temporum, æqualium suffulcire conatur. At NOSTER, majoribus tum rebus implicitus, totum thema controversum, tandem in *Auton. jur. Gent. append. II. c. 3.* ab omnibus dubiis, immune reddidit, simulque GRIBNERO & HECHTIO evidentissime ostendit, totam hanc, de Gerone quæstionem, plane otiosam esse. Cum enim in Vandalia, ipse (in tantum ut ab ævo Friderici I. 4. *Provinciarum Duces* omnes peculiari dignitatis nota distincti fuerint,) potestatem, Regiæ proximam, adeo exercuerit, ut, qui reliqui in ea fuere Sclaviciæ Gentis Principes, ejus autoritatem revereri oportuit, certum esse, ipsum cum potestate *Ducali* fuisset, *Ducatumque* habuisse, & hanc Marchiam, specialiter quoque *Ducatum* appellatam fuisse. Hinc, *Ducatum Marchiæ* ab omni dubio absolvi, quod Archiofficium & Electoralis dignitas ei accreverit, nunquam nisi Ducibus permessa, adeo, ut primaria, regni dignitas & gubernatio, non nisi primatibus scilicet Ducibus conferretur. Unde certum, *Marchiam*, ex quo, Electorale ei Archiofficium accessit, ex hac quoque causa fuisse *Ducatum*, cum omnes *Electoratus, Ducatus, & Electoratus omnes, Duces* sint. Inde sequi, ipsos, etsi alio nomine, ut Comitum, Marchionum &c. appellentur, tamen Duces, Ducumque primarios esse, propter coherentem Archiofficii eminentiam, cæterosque longe anteire, ita, ut Archi-Ducibus quoque præferantur. Apparere ergo, hos Principes, etsi nomine ac titulo Comites, Marchiones audiunt, potestate tamen, sive à terra, vel Ducatu *Duces esse & appellari*, adeoque scitisime, a *Ditmaro Merséb.* dictum fuisse, etsi in Burgundiæ Regno Duces non essent, sed Comites, hos tamen non alios fuisse, quam qui Ducis honorem possederunt, manifestumque hinc esse, quam evanidum sit, captatis nominum umbris, corpus ipsum, de quo nunc quæritur, expungere.

Cæterum, Saxoniam antiquæ historiam, immortalis sua gloria, perquisivit NOSTER in *Jur. Publ. c. III. sect. 3.* ubi in primis circa Westphalorum servitutem §. 37. & seqq. scriptorum antiquissimorum autoritate probavit, quod subactam Saxoniam, Carolus M. non in Ducatum erexerit, sed in pristinum statum ex populari libertate & optimatum administratione mixtum restituerit, licetque Saxoniam, veteri libertati à Carolo M. redita

(22) Cum
Meinder-
sio.

Fata & Merita

dita fuerit, ipso tamen facto, exceptam fuisse *Westphaliam* cum parte *Ostphaliae*, adeoque servitutis jugo, sub Francis perman-
sisse. Verum, hic iniquam lectioneque haud dignam censuram
animo injurio detexit, HERMANNUS ADOLPHUS MEIN-
DERS, *Bielfeldia-Westphalus, Consiliarius Regius Prussicus, &*
Præfecturæ Ravensbergensis Gogravius qui editis *vindiciis liber-*
tatis antiquæ Saxonicae, sive Westphalicae, junctâ diplomatis
Carolini explicatione, Trutmanno Comiti, An. DCCLXXIX.
præterse dati, & dissertatione, *de origine & Jure decimarum in*
Westphalia, cœco patriæ amore ductus, ex Capitulatione Caroli-
na, *Westphaliam* pristinae dignitati & libertati fuisse restitutam,
evincere studens, multa cum mordacitate, *Viros perillustres &*
Excellentissimos, summosque Jctos, RHETIUM & COCCE-
JUM gravissimorum errorum & lapsuum, in primis, quod hic
Westphaliam in IV. Comitatus, totidemque Episcopatus divi-
sam fuisse commovet, imo delirii inculcat, ac indignis modis, &
conatu valde temerario, tanta illustria Jurisprudentiæ fidera
perstringit. Equidem, quæ de clade Sueviæ & Saxoniam, qua
tandem cessere armis ac felicitati Chlodovæi & Caroli M. Juris
publici explicandi causa dici necessario oportuit, *Vir acutissimus*
ea re nihil laudibus & gloriæ utriusque populi detractum velle
vel credere, sancte testatus est; Neque unquam putavit, ideo
apud cordatos viros contestatione opus esse, cum sit res notis-
sima, ubique confessa, vulgata & prodita, nisi hoc ipso *West-*
phaliæ exemplo expertus fuisset, eo MEINDERSIUM impo-
tentiæ & cœcitatibus delabi, ut ejus relatione, indelebilem patriæ
injuriam fieri causetur, & ideo quasi cadentem, imbelli & tenui
calamo suo asserendam, & fulciendam sibi sumat, ubi falsissi-
me NOSTRO affingit, eas civitates in infimum illum & vilissi-
mum statum servilem ab eo reduci, in quo olim servi illi priva-
ti & mancipia Romanorum, aliarumque Gentium fuere. Atta-
men, ne in recensendis tam inanibus nugis Meindersianis, tem-
poris jacturam faciamus B. COCCEJUS, maxima cum huma-
nitate, responsionem suam, in *Auton. Jur. Gent. app. i.* MEIN-
DERSIO, prolixissime opposuit, & resolutiones eorum dubio-
rum, quæ de *Westphalia*, ejusque Statu contra *cap. Jur. Publ.*
§. 11.

§. II. 12. & 13. mota fuere, modeste conscripsit, ut merito insultum aduersarium illum proprii delirii, acerbi scribendi generis & procacitatis suæ, quibus horum *illustrum ac summorum Virorum* famam ita laceravit, beatosque RHETII manes absque causa non minus, quam remota omni verecundia laceſſiuit, pudeat. Neque ita multo post, COCCEJINostri ante XX. annos Auditor sagacissimus, CONRADUS HENRICUS BARCKHUSIUS *Detmoldia Westphalus, Vir, in Jure ac quocunque Historiarum genere versatissimus*, in exercitatione sua historica de *Westphalia s. Saxonia antiqua* ejusdem sententiam breviter quidem, at optime contra insultus Meinderſianos defendit, & succincte ibidem ostendit, Westphaliam libertati pristinae non reditam, eamque in IV. Comitatus olim diuisam fuisse.

Quemadmodum autem potiora COCCEJO aduersantia captia in qualibet juris specie enarravimus, ita restat, ut ad disceptationes quasdam *Juris Feudalis* nunc tranſeamus. Vir Summus quippe, in *Prælect. Juris Gent. & Feudal.* circa materiam successioſis linealis in Regnis & Principatibus, nervose docuit, quandojus alicui pro se & familia i. e. descendentibus, sive, quod idem; cum familiae constituitur: ex eo momento, jus omnibus quaesitum intelligi, ordine scil. successivo, & cum prælatione masculorum agnatorum. Verum, in Regnis & Principatibus id præcipuum esse, quod sua natura sint individua, quæ, ne ad omnes quidem hæredes masculos, sed ad unum per veniant, adeoque ad ætate majorem, cui primo jus inde quaesitum fuit, quæ successio linealis dicitur, in qua, non tantum graduum ordo inspicitur, sed cui derogat cum ætatis, tum imprimis sexus ratio & prærogativa, simulque contra *Grotii* sententiam *L. II. c. 7. §. 20. & 21.* accurate monstravit, nec feuda & allodia familiae concessa successioſis genere differre, nec quaeri de casu, quo successio in aliquo Regno specialiter recepta est, sed quo nulla expressa, adeoque jure decidenda est. Et hanc illam esse, quæ in Principatibus sua natura *linealis* inque Electoribus secularibus stabilita est, per *Aur. Bull. tit. 7.* pleniusque explicata, in *Bullis Caroli IV. & Sigismundi*, Saxoni & Palatino concessis, ubi prolixè hunc succedendi ordinem explicarunt. Extincta igitur

Contro-
versia Juris
Feudalis.

(23) Cum
Schiltero,

Anno MDCLXXXV. in CAROLO Electore, linea Simerensi, PHILIPPUS WILHELMUS, Neoburgicus, propitiis fati hæreditatem Electoratus Palatini, in Sereniss. Domum suam transtulit, non tamen absque acerrima contradictione Leopoldi Ludovici Comitis Palatini Veldentia, sive Lützelsteinii, qui, contra Domum Neoburgicam, proximiorē urfit successiōem, libello peculiari tunc edito, quem, à Famigeratissimo JOHANNE SCHILTERO *primum Jenensis, deinde Argentorariensis Academiæ Antecessore ac Doctore* confectum, postea apparuit. At COCCEJUS, jussu Electorali, scripto elaboratissimo A ò MDCLXXXVIII. eum refutavit, exposita in primis naturali successiōis, cujus textus, in 2. Feud. 50. meminit. Ad cujus sententiam, cum dissertatiunculam feudalem *de successiōe ex linea Heidelbergæ*, tum temporis habuisset supra laudatus Dn. JOH. WOLFFG. TEXTOR, quam non probabat idem SCHILTERUS, hinc, et si illa cum familia Lützelsteinia jam dum extincta sit, inter dictos Viros doctissimos, tamen editis invicem libellis, contentio illa, quoad hanc quæstionem continuata fuit.

(24) Cum
Titio.

Aliam porro, cum supra laudato GOTTLIEB GERHARDO TITIO *ſcto Lipsienſi*, controvertendi occasione, suppeditavit spinosa fati materia feudalis. Anno MDCXCII. oborta; COCCEJUS quippe anno eodem, dissertationem de *Adoha, Von der Heer-Steuer, Reisegelde, & Fabrtlöfung*, in Alma Viadrina publici Juris fecerat, in qua, rationem, quomodo semiffis redditus unius anni computandus sit, c. 2. accuratissime, pro more, demonstraverat, & quare Juris autoribus & compilatoribus non placuerit certi anni redditum describi, sed viginti annorum fructus conferri, perquam solide ibidem ita exposuerat, quia nempe nimium anni variant, ex unius anni redditu, certum feudi pretium definiri non posse, quin sæpe numero in bello evenire terris ab hoste vastatis, aut anno sterili, aut agro, tum forte jacente, ut Dominus, adohæ nomine, nihil acciperet, indeque Juris autores, vel Imperatores, plurium añorum redditus calculo complexi, prudentissime exquirere, quid fructuum fundus ferre soleat, non quid casus singularis unius anni forte tulerit.

Post-

Postquam vero *idem*, in *Juris Publici controversiis nominatus* B. TITIUS fide judicii sui, Actisque amicorum fretus, in *Jure Feud. German. c. XIV. §. 40. & seqq.* multa in contrarium differuisset, asserendo, tum demum has computationes iniri, cum hostis in cervicibus prædiorum jam hæret, & tum tot Vasallorum totque annorum redditibus excutiendis, agrorumque modo examinando tempus trahi, cum hostis eos immaniter vastat, colonosque, vel cædit, vel fugat, NOSTER probatissimam sententiam suam, ex Curia Electorum Palatinorum feudali antiqua petitam, autoritati receptissimorum Feuditorum, relationibusque Commissariorum diversis innixam in *Hypomn. Jur. Feud. tit. VI. §. 31. & 32.* contra TITII vana figmenta ac insultationes strenue defendit.

Postremo in perquirenda *origine ac autoritate feudorum*, nemmo accuratiorem operam COCCÉJO hucusque intendit, in qua scientia, ut industriam incomparabilem adhibuit, ita nomen factis illustre, maximamque autoritatem eum obtinuisse, omnes unanimiter fatentur; siquidem ex antiquitatibus Franciæ & Germaniæ vel paucis cognitis, vel neglectu quorundam obscuratis, Juris feudalis defectus, non tantum accurate supplevit, verum etiam, quæ ad processus feudalis illustrationem maxime faciunt, variis decisionibus ac documentis *per antiqua curia Feudali Palatina* petitis, in *Hypomnematibus Juris Feudal.* methodo admirabili munivit. Apparet id statim, ex *tit. I. pr.* ubi testimoniis omni exceptione majoribus evicit, Magistratus Romanorum publica stipendia meruisse, nec terras publicas tum in commercio fuisse, Francorum autem Proceribus, tuendæ dignitatis causa, à Republ. terras datas, easque Salicas, alias avitas, sive aviaticas deinde Allodia dicta fuisse, quæ à privata hæreditate separata fuere. Inde fœminas exclusas, vel masculos prælatos, Regibusque electis, sub lege fidelitatis, & reservato dominio directo, feuda data, & beneficia Regia deinde feuda dicta fuisse, indeque tum reliqua bona avita, seu Salica, Allodia, ad imitationem fideicommissorum familiæ, concepta dici cœpisse; denique, aliam Feudorum, aliam juris feudalis esse originem, hujus, à moribus Longobardorum, illius, à Francis, non in genere Germanis, diu ante Carolum

(25) Cum
Thomasio.

lum M. ipso usu, non lege scripta, extitisse. Equidem, cum *Illustris D. CHRISTIANUS THOMASIUS S. Regie Majestatis Prussicæ Consiliarius intimus, Regiæ Fridericianæ Director ac Prorektor perpetuus, nec non sue facultatis Ordinarius, Vir multijuga eruditione celeberrimus, novissime, in Selectis capitibus feud. §. 15 & seqq.* contrariam sententiam defendere sustineret, arbitratus, nequaquam inferri posse, allodium olim proprie significasse hæreditatem paternam, sed communem istum errorem apud non paucos scriptores deprehendi, allodium denotare proprie bona paterna, vel aviatica, probatione inde historica, de hoc errore transituque facto ad locum *Marculphi, L. 2. form. 7.* item conjectura desumpta in L. Ripuaria, pro hæreditate *aviatica* legendum esse *Aduatica, seu Atuatica* Ripuarianorum metropoli, falsumque dicit, terram aviaticam ibi synonymum allodii esse, cum rubrica tituli ad §. *ult. & ad præced.* de hæreditate aviatica respiciat, quod §. *20. seqq.* ulterius exponit, ostenditque, allodia à dominio alieno libera, feuda vero, prædia ei subjecta, illorumque conditionem meliorem ac feudorum, imo allodia propria bona, feuda fiscalia dicta fuisse: Ubi demonstrat, fontem dissensionum circa antiquas differentias feudi & allodii, v. gr. quod bona avita, seu allodialia iterum in allodialia & feudalia dividantur, & quod olim bona Salica **Stamm-Güter** diversa fuerint ab allodiis privatorum, ac priora saltem spectaverint ad Proceres Imperii, cum tamen hæc bonorum divisio, pertineat ad bona omnium ingenuorum Veteris Franciæ. Deinde §. 30. asserit *Vir illustris*, istum locum, non convenire cum doctrina alibi tradita: Concessas autem fuisse has terras fidelibus, vel in feudum, seu beneficium, quo jus proprium, scil. dominium utile, in eos transit, vel in allodium, quo sola administratio cum redditu & certis juribus. Ex quo notat, fideles, quoad has terras salicas, seu Regni, plus juris habere in feudis, quam in allodiis. In illis enim dominium utile, adeoque jus proprium ipsis competere, in hiantum perceptionem reddituum ac jurium cum administratione. Quin etiam hic repetatur, terras salicas datas esse, ob officia Regni Proceribus, quod absque fundamento dici existimat, tamen eo ipso, quo allodia dicuntur, constituisse in mera administratione, & feuda in

in dominio utili, adeoque feudorum melior dicitur fuisse conditio, quam allodiorum doctrinæ præcedenti contradici putat, nec tamen & hanc variationem convenire cum natura rei. Porro, increpat terræ salicæ variationem, & distinctionem Vadiani, inter agros fiscalinos & salicos, cum tamen prædia fiscalia sint feudalia, & terra salica allodialis. Inde §. 34. infert, feuda, paulo post electos Franciæ Reges orta, & Longobardos, dum sub suis fuere Regibus, ea ignorasse, hæcque olim vocata fuisse, bona de munere Regio, postea beneficia, denique §. 39. subjungit, feudorum jurisque Feudalis originem, solis Francis deberi, non Longobardis; quam sententiam, in disput. Anno MDCCX. habita de *Originibus Feudalibus*, latius persecutus est. Plerisque igitur hiis dubiis THOMASIANIS, tandem COCCEJUS in disp. Anno MDCCXIV. ventilata, de *Renunciationibus & Reservat. filiarum illustrium*. §. 5. 6. & seqq. & ratione terræ salicæ in *Auton. Jur. Gent. c. 18. & 22.* non minus erudite, quam solide respondit, verio remque sententiam egregie demonstravit.

Quoad intricatissimam præscriptionum materiam, id adhuc monendum ducimus, Consultissimum virum JOHANNEM WILHELMUM DIETMARUM, *Jctum & Profess. Jenensem* in disp. de *Præscriptione feudali*. Jenæ MDCCXII. edita, summi COCCEJI sententiam, in dissert. de *Præscriptione extraordin. vel anomola*. §. 14. & seqq. ingeniose explicatam, non ita pridem per totam *sect. 2.* impugnasse, ubi distinctionem illam inter possessorem rei propriæ & alienæ, qua *Noster* olim adversus Illustr. *Lynckerum*, in notissima illa supra notata disceptatione, usus est, non admittere, nec concedere vult, textum 2. *Feud. 26. §. si quis.* de præscriptione extraordinaria agere, in super asserendo. *L. 10. ff. si servit. vind.* ibidem allegatam, tantum de possessione agere, non proprietate, nec de præscriptione, & quidem tali, qua non solum exceptio, sed & actio acquiritur, indeque sequi, præscriptionem hanc extraordinariam, seu anomolam ibidem minime fundari posse, sed ad Jus Civile potius recurrentum esse, quo jure, cum præscriptio longi temporis ad dominii acquisitionem sufficere videatur, eandem & ad feudi acquisitionem sufficere existimavit. COCCEJUS autem eo adduci non potuit,

(26.) Cum
Dietmaro,

tuit, ut infirma hæc asserta circa præscriptionis anomalæ requisita, à DIETMARO allata, pro veris & genuinis agnosceret, indeque acquiesceret, siquidem solidissimam sententiam suam ex intimis juris visceribus erutam, in *Hypomnemat. juris Feud. tit. 8.* Anno MDCCXV. editis, iisdem fere verbis, denuo non tantum repetiit, verum etiam optimorum ac probatissimorum Autorum testimoniis eandem munivit.

Rationes
cur omni-
bus re-
spondere
noluerit.

Ast satis erit, potiorum disceptationum seriem, & dubiorum cum NOSTRO communicatorum resolutiones, brevibus pertexuisse. Haud abs re foret, alia ejusmodi capita à viris doctissimis ac humanissimis allegata, qui scripta SUMMI COCCEJI, vel maxima cum voluptate perlustrare dignati, vel ejusdem otio se temere obtrudere conati sunt, in medium proferre ac recensere. Verum, cum illa, in quantum scimus, vel ex relationibus aliorum accepimus publicis hinc inde scriptis, ventilata non sint, illisque rite diluendis, NOSTRO, cum tempus, tum otium, quo jam diu ante perparco nimium usus est, in maximis & continuis ejus occupationibus defuit, satius duximus, istos levissimi momenti dissensus, penitus præterire. Ideoque rationes, cur nec omnibus, nec nulli respondere, imo nec temporis sui occupatissimi dominum, arbitrumve respondendo facere, vel admittere, tum secum constituerit, NOSTER alibi * paulo fusius exposuit.

Theologiæ
peritissi-
mus.

Prout itaque ex hæcenus traditis apparet, quanta eruditione illa in universa juris scientia, vel specie præditus fuerit, & quantopere in omnibus juris humani divini que partibus, præ multis aliis excelluerit, ita non prætereundum, eum, præter vastissimi juris peritiam, *Theologiæ* quoque, multam magnamque operam impendisse, ad quam, lingua Hebraica & Græca (præter has enim ac Latinam, tenebat Gallicam, Anglicam & Belgicam,) eum maxime invitavit. Inprimis, linguæ Græcæ adeo gnarus fuit, ut in prima adolescentia Græca poemata, in Pædagogio Bremensi elaboraverit. Habuit sub manibus, seu calamo, doctrinam moralem, qua *Veritatem religionis Christianæ* stupenda sane, & admirabili methodo demonstravit, vaticinium quip-

* Vid. Auton. Juris Gent, in præfat.

Henrici de Cocceji.

quippe *Danielis* tam accurate illustravit, ut ex omnibus temporum supputationibus annum, diem, imo horam ipsam, *passionis Servatoris nostri* deduxerit, sicut quoque alio quodam loco ex rationibus juris Gent. nova penitus ratione probavit, tunc, cum *Schilo*, i. e. CHRISTUS venisset in hunc mundum, sceptrum à Juda revera amotum fuisse, Judæosque peculiare & proprium Regnum non amplius habuisse. Sed, nec hoc opus, exquisitissima industria concinnatum, ad finem perducere potuit, ac postmodum examinandum erit; an fragmenta præclarissimi sætus hujus, ita comparata sint, ut Orbi erudito, alicui usui esse, doctorumque virorum cohorti, hanc materiam ulterius investigandi, ansam quandam præbere possint.

Tandem quoque COCCEJUS, insignis fuit literator, & absque omni dubio, imo certissimum est, paucos fore Jctos, qui, quantum puriorem Laonicum stylum attinet, in latinitate ac conciso scribendi genere, ei sint æquiparandi, id, quod egregia illa monumenta, quæ eruditorum manibus teruntur, quæque ipsa intuebitur æternitas, luculenter testantur. Aderat ipsi, ut admiranda *Juris Universalis* scientia, ita suada diferta; hinc, præ cæteris omnibus, ad maximum excrescens Auditorum numerus. Aderat, ut celebratissima fama, ita temperamentum accommodatum, & humanum, hinc amplissima *Principibus, Comitibus, Baronibus aliisque* intermixta auditoria, è quibus, prodire viri illustres ac undiquaque celeberrimi, ita, ut vix reperiat civitas, vel Collegium illustre, cui non interfuerit, vel adhuc interfit COCCEJANI NOMINIS affecta, vel dignus tanto Doctore discipulus, ex quibus honoris, causa hic adducere liceat *Virum Reverendissimum, Illustrissimum ac Excellentissimum MARQUARDUM LUDOVICUM LIB. BAR. PRINTZENIUM summum Aule Borusicæ Marescallum, Regis Consiliarium Status Bellique intimum, Prusici Aquilæ nigræ Ordinis Equitem, Palatii Regii Prefectum, Consistorii Præsidentem Rerum feudalium & Ecclesiasticarum Directorem Academiæ Regiarum, Gymnasii Joachimici Berolinensis & Cassie montis pietatis, supremum Curatorem, scientiarum societatis Protectorem, Basilicæ Magdeburgensis Canonicum, Ruppiniensium Bellinensiumque terrarum Præ-*

Stylus.

Auditorium.

fe-

fectum, inter Viros in Republica versatos, facile Principem, Heroem togatum eminentissimum, qui ante hos annos XXIX. doctrina COCCEJI ac institutione usus fuit. Nectacendi, *Perillustres fratres & patruales, Liberi Barones DANCKELMANNI*, quorum in præcellentissimis editis speciminibus, jam tum in Alma Viadrina emicuit heroica indoles, cui *Gloriosissimus Prussorum Rex, diversique Imperii Principes summi*, sua dona reddidere. Aderat denique, ut longo rerum usu, prudentia subacta, ita industria & lucubratio continua, hinc arduorum maxime momenti consiliorum & causarum illustrium, ab aula oblatarum, exasciata continuatio, in dicendo igitur concinnus, in docendo brevis, in scribendo perspicuus ac utilis, omnium aures animosque attrahebat. Super omnia vero, ei iudicium subtile & penetrans erat, quidnam veri, aut falsi rebus inesset, non longæ cogitationis mora, sed ad primum quasi oculorum conjectum discernens. Qui casus viderentur inextricabiles, soluta facilitate extricabat, quos nodos alii, alibi quærebant, obvia responsione, solvebat, nec poterat ei aliquid esse obscurum, quod non immensa diligentia pervagatus, diu fuisse videbatur. Imo, tanto ingenio, tantaque memoria, ut libros parum per lectos, statim exhauriret, temporisque parcissimus, cujus jacturam nullo pretio redimi posse ac reparari, sciebat.

Judicium
penetrans.

Forma ac
vitæ ratio.

Ut vero *de forma, vitæ ejus ratione ac instituto*, item *de re familiari ac domestica*, etiam aliquid in medium afferamus, corpus præfererat sanum, quod adjuvabatur & diætâ, qua utebatur temperata, & remisso tranquilloque ad omnia animo, tantum cibi potusque capiens, quantum natura postulabat, neque reminiscuntur sui, eum unquam excessum aliquem hac in parte commisisse. *Forma* usque adeo, nunquam ipsi defuit, ut per omnes ætatis gradus, certa illum, arque inviolata deduxerit, neque destituerit senem. Erat enim corpore erecto, & statura iuxta, ut ramen magis grandioribus viris adnumeraretur, quam parvis, oculis acutis ac vivacibus, toto vultu, in gravem ac porrectam severitatem composito, aspectuque ubivis grato. Capillus, primum candidi coloris, diuturnitate vitæ in canos tandem conversus seni, decus attulit in extrema senectute. Licet au-

autem à valetudine diversis temporibus meminerimus tentatum, semper tamen Dei beneficio tanquam à lucta fortior exercitiorque post brevem intercapedinem ad negotia reversus est. Somno alias parum indulgit, multosque annos prandio abstinuit, ne id laboribus ejus & studiis, quorum erat patientissimus, alicui esset impedimento. Quippe dies, sæpe numero, ferendis laboribus, non sufficiebant, noctis quoque partes addendæ erant, quod seni jam ultra septuagenario, grave putares, sed tam ad suetum erat laboribus animus, tam obduratū corpus, ut frequentes sibi olim vigiliæ, in consuetudinem pene abierint, imo, tantæ ipsi curæ erant, quæ demandata negotia creabant, ut rei familiaris atque domesticæ Statum inde negligeret, adeo, ut cum alii sibi, suisque ditandis inhiarent, ipse alios potius, quam se ditaret. „Certe, tota ejus vita, omnibus vero fuit exemplo, ad-
„ eoque pietatem in Deum coluit, ut non solum quotidie, stato
„ tempore precibus ad Creatorem effusis, vacaret, verum etiam
„ conclave quoddam, aliquanto remotius in ædibus, ad eum
„ destinaret usum, quod ita apraverat, ut solus intuitus ve-
„ ram infucataque devotionem inspiraret. Deo itaque de-
„ votus, sermonibus sacræ ac rei divinæ, quantum per valetu-
„ dinem liceret, semper interstet, eique in utraque fortuna con-
„ stanter adhærebat. „Opes, quas habebat, non turpi quæstu, aut
„ alio illicito modo acquisiverat, sed *Dei* munere, continuis-
„ que laboribus, quos pro summo rum Regum & Principum
„ commodis ac dignitate exceperat, & toleravit. Divitiis non ute-
„ batur ad luxum, aut vitæ ostentationem, neque patiebatur, ut
„ egeni & à fortuna offensi, frustra opem implorarent suam; in-
„ primis non pepercit sumptibus in rebus, quæ ad *Dei gloriam*,
„ aliorumque commodum pertinent, id quod, cum scholæ, tum
„ templa abunde testantur. Auri pondere, seu splendore, corrup-
„ pi se non patiebatur: è contrario, omnibus temporibus, se virum
„ bonum, justitiæ que sanctum antistitem præstabat, adeoque ho-
„ nestatem coluit, ac sincerum suum nullo fuco corruptum can-
„ dorem, unicuique ita approbavit, ut omnem impenderet ope-
„ ram, paucos, quos habere compererat inimicos, quorum odia
„ & calumnias incredibili mansuetudine concoquebat, beneficiis

Pietas.

Mansuetus
in inimi-
cos.

superandi, optimum ultionis genus esse, statuens, quod hisce
versibus describitur:

Incessunt? *taceo*. Culpant? *fero*. Crimina spargunt?

Dissimulo. Mordent? *absque dolore meo*.

Obtrectant? *sileo*. Ringuntur? *rideo*. Vulgo

Traducunt? *patior*. Dant mihi damna? *sino*.

Aspiciunt torvis oculis? *ego mitius illos*

Aspicio. Turbant cuncta? *quiete fruor*.

Latrant? *non moveor*. Frendent? *non curo*. Minantur?

Nil timeo. Torquent labra? *laboro nihil*.

Insidias ponunt? *evado*. Petunt caput? *oro*.

Pessima malitis? *optima queque precor*.

In adversis
intrepidus.

Norunt hoc omnes, & ii maxime, quibus cum COCC E-
JO, quem, hæc negotia gerentem, sæpius adversa occuparunt,
aliquid rei fuit. In adversis hisce perferendis, erat intrepidus,
nullisque fatorum consiliis reluctabatur; nec in secundis rebus
elatus, divinis confidebat auspiciis, animo semper idem, ac in-
fractus, nec aut inani spe suspensus, aut vana formidine deje-
ctus. Quam callebat fortunæ sortem, non extimescebat, cum-
que habeat hæc mortalium vita istas vicissitudines, ut ex adver-
sis secunda, ex secundis adversa noscantur, ipse placide hos hu-
manitatis casus expertus, optima fiducia æquoque animo in
Deum innixo, perferebat

Affabilis,
comis &
liberalis in
pauperes.

Erat præterea NOSTER admodum affabilis, blandus al-
loquio & comis in conversatione, præsertim erga Auditores
suos, eosque, qui fortuna erant inferiores, nec vel infimæ for-
tis hominibus, in omni fortuna consilio unquam deerat, imo
studiosus omnium, quantum tempora patiebantur & vi-
res, qua beneficentia, maximum apud omnes sibi conciliavit
amorem & autoritatem. Quos vero ex voluntate juvare non
poterat, eos sermonibus recreabat, cavebatque inprimis, ne
quem à se tristem dimitteret, dum suam juvandi promittendi-
nem nulli, justum aliquid petenti, unquam denegabat. *Pacis stu-*
dium, diligentissime sectabatur, & quidvis pati malebat, quam
permittere, ut concordia vinculum rumperetur. In *sententia*
dicenda, & suffragio ferendo *cordatus* erat, neminemque vere-
ba-

batur, nec ob hominum gratiam in DEI causa aliquid remittendum statuebat, in crimina, iusta asperitate gravis, in miseros misericors, cum austeritate lenitatem, cum iustitia æquitatem, prudentissime solebat temperare. Consilia ejus, ad promovendam *Dei gloriam*, & procurandam *Reipublicæ salutem*, omnia spectabant, in qua regenda, debitæ moderationis clavo saluberrime utebatur. Verbo: *sive pietas* spectetur in superiores, *sive Officia* in æquales, *sive humanitas* in inferiores, *summa* erat ubique & plane *eminens virtus*, quam nulla delebit oblivio. Unde tot innumera in egenos beneficia, tot in pauperes auxilia, quorum magna pars post fata reservatur, COCCEJANÆ *Virutis* documentum immortale.

Nec minus *propriam familiam*, quam *Academiam* sapientissime gubernabat. Ex *svavissima conjuge* MARIA SALOME HOWARDA, *Matrona optima sanctissimaque*, & in tantum laudanda, in quantum humana virtus intelligi potest, nunc mense Februar. Anni MDCCXX. magno cum suorum luctu demortua, tres Heidelbergæ suscepit filios, quorum *primogenitus* FRIDERICUS HENRICUS, Ann. MDCLXXV. mense Junio, in lucem editus, cum neque unquam à literis esset alienus, instinctu occulto, antiquiora suorum exempla intuitus, præoptavit militiam, & *contra Imperii hostes castra Palatina* secutus, demum mense Januar. Anni MDCCIII. postquam *Tribuni Locum tenentis Legionum pedestrium Palatinarum fastigium*, jam attigerat, prima expeditione belli Gallo-Hispanici, Ruremundæ præmatura morte occubuit. Alter JOHANNES GOTHOFREDUS, ob excellentia dona, & raram solidamque eruditionem, à *Sacratissima Prussorum Regis Majestate*, in numerum *Consiliariorum Belli intimorum*, & *Regiminis Regii Ducatus Magdeburgici*, cooptatus est. Vir, de quo dubites, doctiorne atque disertior, an melior sanctiorque esset. *Tertius* SAMUEL ob æque illustria in rem publicam & literariam merita, eidem *Augustissimo Regi à secretioribus Sagi Togeæque Consiliis*, & *supremi Appellationum Tribunalis*, quod *Berolini est, Assessor*, nec non *Director Dicasterii Halberstadiensis*, dici meruit. Vir, Legationum frequentia ac experientia,

Familia, ac
liberorum
dignitates.
conf. supra
N. 4. c. 3

exercitatissimus, & in omnia virtutum exempla genitus; qui, ex florentissima Berolinensium civitate, *Perillustri ac fortissimi Domini JACOBI BESCHEFERI, Potentissimi Prussorum Regis Supremi Excubiarum Magistri (General Major) ac Legionis pedestris Praefecti generosam sobolem*, Anno MDC CXVIII, felicissimo matrimonio sibi sociavit: Virginem, in qua conspirasse videas omnia, sive formæ venustatem, sive virtutum summam, sive opum emolumenta quæsieris. Hos omnes ita instituit, ut *paternis moribus* facile noscerentur, ejusque virtutes referrent, cujus sanguinem quoque ferebant, quæ cura, quam feliciter successerit, res ipsa loquitur. Atque hi duo superstites, ea usi sunt lætitia, ut *grandævum parentem* paulo ante beatum obitum inviserent, quippe elapso octo dierum spatio post peractum discessum, vitam præter spem eorum gloriose finiit.

Parentem
visitant.

Morbi
Origo,

Furor
æquorum.

Diarrhœa.

Cura Medicorum.

Tali modo, cum ad summam senectutem pervenisset, & non ætate magis, quam meritis & autoritate crevisset, incidit in morbum fatalem, qui, à septem hinc inde annis, casu quodam inopinato causatus, successu temporis incrementa cepit. Ad *septuagesimum* enim ætatis annum usque, continua sæpius gavisus est valetudine. At tum, cum equi in plateis in furorem agerentur, è rheda saliens, motu illo repentino ac violento, non solum in corpore interno insanabile damnum quoddam percepit, sed etiam, *per lapsum illum infelicissimum, vesicæ calculi excitati*, eum ita adflixere, ut ab illo tempore, verisimum perpessus dicatur martyrium, dum vehementissimos quotidie circa ultimos vitæ annos, cruciatus expertus est. Evaferat quidem, incredibili suorum Academiaeque gaudio morbum, ex quo ante aliquot menses graviter decubuerat. At, insecuta tandem *Diarrhœa*, trium dierum spatio, **NOSTRUM** adeo defatigavit, ut non tam morbo, quam ob virium defectum, miseræ huic vitæ valedixerit.

Quamvis autem Medicorum cura atque auxilium nihil reliqui facerent, quod recuperandæ valetudini inserviret, omnis tamen opera studiumque periit, cum malum usque magis cresceret ac sæviret. Itaque ad *Deum* conversus, magna ani
mi

mi reverentia & pietate preces fudit, piaque suspiria, nec quicquam in animo ac ore morituri versabatur aliud, quam CHRISTI *Servatoris* nomen dulcissimum, quod applicabat sibi perpetuo, ultimumque erat, in quo, in amplexibus *moestissime conjugis adstantiumque* precibus D. XVIII. Augusti, MDCCXIX. quartam inter & quintam pomeridianam, anno ætatis LXXVII, sibi climacterico, ingentem illum spiritum, pie placideque posuit. Hac spe inflammatus mente, in VOLUNTATE DEI semper defixa, mortem tanta constantia, tantaque animi tranquillitate excepit, qualis hominem Christianum in extrema hac vitæ perfunctione decet, ut non ex vita, sed ex hospitio discedere videretur in patriam. Hinc, cum ita se gesserit, minime mirandum est, *vitam ejus multis fuisse acceptam, mortem vero acerbam*. Sibi ille quidem satis diu vixit, satis etiam naturæ, tamen peracerbus omnibus accidit COCCEJI obitus, atque inter hos *Aulæ, Academiæque Senatoribus*, viris nobilitate, virtute, doctrina & ingenio Excellentissimis.

Decanatum amplissimæ facultatis suæ, in Alma Viadrina, decima quinta vice, separatis temporibus, gessit, *Recloratum* ter, actusque *promotionis Doctorum* solennes undecim per fecit, ut de reliquis in illustri Heidebergenfi & Trajectina, nunc nihil commemoremus.

Atque sic vita eheu! excessit, *Summus* ille PAPINIANUS, qui ministerio suo fidelissimo *tribus Electoribus, uni Reipublicæ, & duobus Regibus*, per dimidium fere seculum profuit, quique apud orbem literatum incomparabilibus scriptis suis, apud amicos insigni sua dexteritate, & fide integerrima; in corde vero suorum, plus quam patrio amore & pietate, immortalæ sibi condidit monumentum.

Iusta, depositis mortalitatis exuviis, D. XXII. Augusti solvit vidua illustris, exque, sermone funebri de *Fidelium Operariorum beata requie*, à Viro Maxime Reverendo, *Johanne Arnoldo Noltenio, S. Theol. Doct. & Professore in Alma Viadrina Ordinario, jam S. R. Maj. Pruss. à Concionibus Aulicis*, in toleni celeberrimorum virorum, tam Academiæ, quam civitatibus Procerum & Studiosæ Juventutis panegyri habito, inter lu-

Moritur
anno æta-
tis 77.

Quoties
Decana-
tum & Re-
cloratum
gesserit?

Muneri-
bus per se-
mifeculum
præfuit,

Exequiæ
& oratio
funebriis,

Ætus conjugales civiumque planctus *Conditorio illatae, ac in Reformatorium æde Sacra*, terræ mandata sunt. Atque sic corpus, & quicquid terreni adhuc superfuit terræ quidem relictum, ille cœlestis autem spiritus, in illam sedem emigravit, unde descenderat, at, non tam finitus *beatissimus senex Noster* censendus est, sed superesse etiam illustrior ac beatior illis assertus locis, quæ felicissimas tantum animas capiunt, unde velut ex alto res humanas despicit. Quod, si ingentes viros fortuna metiri fas esset, non virtute, felicissimus NOSTER erat prædicandus in his terris, cui *tot bona* contingere, *honores, opes, fama, tanti liberi*, & super hæc *senectus sera ac leta*. Felix igitur orbis doctus, cui tot eruditione, consiliis, autoritate, egregios viros, profunda ac immensa ejusdem doctrina, genuit, qui omnes *consummatissimam veramque imaginem in Excellentissimis Magnisque filiis, paternarum virtutum hæredibus dignissimis* mirantur, venerantur, qui *merita COCCEJI insignia sanctissime custodiunt, atque memoriam ejus, illustriaque vestigia ad seram posteritatem transmittunt.*

Epilogus.

Non deerunt *tanti viri*, heroicas virtutes posteris commendaturi, qui quanto ille vivus, in audiendis laudibus suis, fuit parcior, tanto mortui memoriam dignius celebrabunt, qui, quæ ex illa immensa meritorum ac dotium copia, hic quasi delibavimus, ac attigimus, ea digna *tam incomparabili Viro* facultia, digno scribendi genere singula persequentur. At, nos tractationi huic epilogum imposituri, illa *Nasonis* verba, quæ SUMMUS COCCEJUS in tumulo, summo sibi Jure vindicat, adhuc addimus.

*Parte tamen meliore mei, super alta perennis
Astra ferar, nomenque erit indelebile nostrum,
Qua que patet domitis Romana potentia terris
Ore legar populi: Perque omnia secula fama,
Si quid habent veri vatum presagia, vivam.*

Henrici de Cocceji.

**DIVI COCCEJI
MANIBUS SACRUM.**

Honoris
supremi
officium,
DIVO ab
Autore de-
bitæ pieta-
tis causâ,
perfolu-
tum.

* *
*

MORARE

QUISQUIS PRÆTERIS VIATOR!
REVERERE MANES AC TUMULUM
SUMMI ET INTEGERRIMI VIRI
BINI SEculi NESTORIS,

QUI

DUM VIXIT, FUIT
SS. JUSTITIÆ ORACULUM
DIVINI HUMANIQUE JURIS OPTIMUS SACERDOS,
SACRARUM LL. VINDE X ACERRIMUS,
ÆQUI BONIQUE FIDELISSIMUS INTERPRES, AC
DISPENSATOR FELICISSIMUS,
BONARUM ARTIUM & LITERARUM DECUS,
EXACTUM PRUDENTIÆ EXEMPLAR,
CONSTANTIÆ IMAGO
IPSAQUE PROBITATIS IDEA.
NOMEN SI QUÆRIS?

SCITO

QUIESCERE HIC OSSA MAGNI ILLIUS
HENRICI COCCEJI,

SAC. REG. MAJ. PRUSS. CONSILIARII INTIMI,
FACULTATIS JURIDICÆ ORDINARII SENIORIS,
ET IN ALMA VIADRINA ANTECESSORIS PRIMARII,

OLIM

SUMMI REGIMINIS STATUS ELECTORALIS PALA-
TINI CONSILIARII,
ILLUSTRIS COLLEGII REVISORII ASSESSORIS,
ET



Fata & Merita

ET IN ACADEMIA HEIDELBERGENSI AC TRAJE-
CTINA
DECRETAL. PANDECTARUM, ET JURIS PUBLICI
GENT.

PROFESS. ORDINARII FAMIGERATISSIMI.
PLURA SI SCIRE AVES VIATOR!
DE VITA HUIUS CORYPHÆI MORIBUS ET MERITIS?
AUDI:

QUICQUID IN PAPINIANO, TRIBONIANO,
PAULO, ULPIANO
ET RELIQUA VETERUM ICTORUM COHORTE AN-
TIQUITAS RECLUSIT,

IN HOC UNO VIDIT ÆTAS NOSTRA,
IN ALIO VENTURA VIX VIDEBIT.

TESTES, SI DESIDERAS?

RESPICE ILLIUS OPERA,

QUIBUS ORBEM SIBI DEVINXIT,
GLORIAM IMMORTALEM REDDIDIT.

PAUCIS:

OMNI EX PARTE FUIT ABSOLUTUS,
ET IN NULLO PENITUS ERRAVIT,
NISI QUOD NIMIS CITO MORTUUS,

DIGNUS

PER SECULUM SAPIENTEM TRAHERE SENECTAM.

SED ERROR HIC FATALIS,

MORTALIUM SORTI A NATURÆ LEGE IMPOSITUS,
BEATUS! QUI BENE SIC ERRAVIT,

NULLI ERAT INTOLERABILIS,

NISI QUI TOLERARI, VEL NON POTERAT, VEL NON
DEBEBAT.

MORES EJUS OMNIUM AMORES,

VERBA NULLI DEDIT, NEQUE VENDIDIT,

IPSE VERO

ÆTERNITATIS AMANTIOR QUAM SECULI,

VIVERE NUNC DESIIT, UT INCIPERET,

ET SUPRA HUMANAM SORTEM NUNC LOCATUS
SPER-

Henrici de Cocceji.

SPERNIT CONVITIA,
FINEM ADEPTUS GLORIAM,
QUA PRO MORTALI ÆTERNUS EST FACTUS,

JAM

CUM VITÆ ULTIMUM VALE DIXERIT

D. XVIII. AUG. MDCCXIX.

DECIMA HÆC MUSA INTER ARMA EUROPÆ
SILET.

LUGE IGITUR VIATOR!

NON MORTALITATI EREPTUM, SED MORTALIBUS.

NOS

NE HUMANITATIS VIDEAMUR IMMEMORES,
LAUREA & CUPRESSO DONABIMUS TUMULUM,

QUI VIRTUTIS CONTINET EXEMPLAR,

FAMAMQUE VIRTUTIS

VIRI ORBI NOTI,

ORBIS BONO NATI,

ORBIS & URBIS DAMNO NUNC DENATI,

QUIBUS PERPETUO SUPERSTES ERIT,

REVERENTER HABEBIMUS,

ET EXTREMUM CLAMABIMUS

VALE!

* * * *

* * * *

SCRIPTA.

QUÆ COCCEJANUM NOMEN PRÆ-
FERUNT, VEL AD ISTUD PERTINENT, EDI-
TA PLURIMUM, ET ADHUC EX MSS.
EDENDA.

I.

Notæ & additiones succinctæ, sive Commentarius in
Pauli Zachie Quæstiones Medico-Legales, ex recen-

q

sio-

Scripta

fione & cura Georgii Franci M. D. & Profess. Heidelb. *Francos. ad Mœn.* Anno 1688. fol.

II.

Tractatus de *Doli, culpa* & negligentia *praestationibus* in quolibet negotio: ubi refutata vulgari sententia, nova ex solidis tum naturæ, tum legum principiis adstruitur, & demonstratur. *Heidelb.* 1672. 4to.

III.

Collationes Juridicæ ad Ampliff. Virum Georg. Adamum *Struvium*, Jctum Jenensem celeberr. quibus *tota culparum materia*, à prima origine paucissimis luculenter deducitur, defectus, qui in ea hactenus extitit, curate suppletur, & quæ in *Decisionibus Sabbathinis* contra eam opponuntur, solide refutantur. *Heidelb.* 1677. 4to.

IV.

Juris publici prudentia, compendio exhibita, quo materiæ ejus, præcipuæque hactenus agitatae controversiæ à sua origine & fonte ducuntur, facilique ratione exponuntur, & demonstrantur. Cui, præter alia insertæ sunt passim resolutiones dubiorum, quæ mota feruntur, & præter priorem appendicem de *Historia Palatina* addita altera, & tertia, quæ *Tutela Electoralis*, & *divisionis Regni*, in *IV. Circulos* dubia removet. *Francos.* 1705. 8vo.

V.

Hypomnemata Juris, ad seriem Institutionum Sacratiss. Imperatoris Justiniani. *Francos.* 1698. 8vo.

VI. *Hy-*

VI.

Hypomnemata Juris Feudalis, cum aliquot præcipuarum difficultatum enodationibus aucta. *Francof.* 1702. & 1715. 8vo.

VII.

Autonomia Juris Gent. ubi natum inde inter Gentes discrimen civitatis mediatæ & immediatæ, liberæ & non liberæ, aliaque ad illustrationem Juris Gent. ac Publici spectantia, plenissime eruuntur. Accessere *duæ Appendices*, quarum *prima* continet resolutiones eorum, quæ pridem de Westphalia ejusque statu, altera earum, quæ denuo ad Historiam Palatinam mota ac edita sunt. *Francof.* 1719. 8vo.

VIII.

Prodromus Justitiæ Gentium, sive Exercitationes duæ, quarum *prima*, socialitatem Grotianam principium Juris Nat. neque essendi, neque cognoscendi esse evincit: *secunda*, veram Majestatis originem eruit. Liber ad illustrationem præmii & *Lib. 1. Tractatus Grot. de Jure Belli & Pacis* necessarius: cui annexæ sunt *Positiones generalissimæ pro Explicatione Juris Gent.* *Francof.* 1719. 4to.

IX.

Variæ Deductiones Juridicæ & causarum illustrium, scil. (1.) in causa Simmerensi Moguntina. (2.) Lützelsteinensi-Neoburgica. (3.) Aurelio-Palatina. (4.) Directorum Ducumque Imperii Circulorum in exequendo. (5.) Hæreditatis Arausionensis, Principatus Mursensis & Comitatus Lingensis. (6.) in causa Neocomensi

& Vallengina. (7.) Reformatorum Silesiorum. (8.)
Comitatus Reintsteinensis. (9.) Abbatis Werdenfis.
(10.) Comitatus Limpurgensis. &c. in fol. & 4to.

X.

Dissertationum Juridicarum Volumina II. ab Anno
1669, usque ad annum 1719. publice habitatum, &
juxta seriem temporis ita dispositarum :

* * * * *
DISPUTATIONES HEIDEL-
BERGENSIS.

1. De Proportionibus. Resp. *Adolph. Henr. Linde* Westphal. 1671.
2. *Oratio auspicalis* de Lege Salica, publice dicta. 1672.
3. De Computatione graduum cognationis. &c. Resp. *Adolph. Henr. Linde*, Westphal. 1672.
4. De Servitutibus naturalibus. Resp. *Job. Dieter. Hörner*. Francus. 1673.
5. De Austregis, vulgo *Austrägen*. Resp. *Job. Barthol. Herold*, Wormat. 1673.
6. De Jure omnium in omnia, *ubi quaestio*; An Austregis competat Jurisdictio? deducitur. Resp. *Job. Barthol. Herold*. Wormat. 1673.
7. De Jure postliminii Resp. *Dithmar à Rheden* Brem. 1673.
8. 9. & 10. De Jurejurando, *disp. tres*. Ad 1. & 2. Resp. Perill. Dn. *Philipp. Ludov. L. B. à Geuder zu Heroldsberg*/Equ. Franc. & ad 3. Resp. *Job. Dan. Fabricius*. Myrtill. Palat. 1674.
11. De Summa potestate. Resp. *Job. Georg. à Dieskau* Nob. Saxo. 1674.
12. De Conditione & die. Resp. *Andr. Stephani*, Juliac. 1674.
13. Si plus sit in veritate, quam in opinione, vel contra, *ad l. 4. §. I. ff. de manum. vind.* Resp. *Daniel Martini*. Heidelb. Palat. 1674.
14. De

Henrici de Cocceji.

14. De Rebus meræ facultatis. Resp. *Job. Laurent. Zubrodt.* Cronsberg. 1675.
15. De Eodem & diverso. Resp. *Job. Ludov. Schmendt.* Bretta-Palat. 1675.
16. De Juititia Bellorum, Resp. *Job. Jacob. Jfrael.* Heidelb. Palat. 1675.
17. De Vi consuetudinis in Principatu. Resp. *Job. Ludov. Zollmann.* Hohenloic. 1675.
18. De Jurium efficacia in alieno territorio à *Struvio in Bibl. Jurid. p. 114.* laudata.
19. & 20. De Jure & facto, *disp. 2. Ad 1* Resp. *Job. Wilhelm. Wablius.* Meisenheim. 1675. & ad 2. Resp. *Job. Nicol. Faber.* Kirchberg 1676.
21. An Traditio necessaria sit ad transferendum dominium? Resp. *Job. Herman. Meyer.* Erpaco Schönberg. 1676.
22. De Jure Generationis. Resp. *Geörg. Hartzinck,* Meursenf. 1676.
23. De libertate Status Regii. Resp. *Abrab. Crumfus.* Heidelb. 1676.
24. Leviathan refutatus & expositus. Resp. *Joban. Dieter. Nott,* Hamm. Gueftph. 1677.
25. 26. 27. & 28. De Arbitrio boni viri, disput. IV. Resp. ad 1. *disp. Abrab. Crumfus.* Heid. Palat. Ad 2. *disp. Resp. Frid. Mentzler.* Heidelb. Palat. Ad 3. Resp. *Job. Bernhard. Otto.* Palat. & ad 4. Resp. *Job. Philipp. à Leuneshloff.* Heidelb. Pal. 1677.
29. De eo, quod fit ipso jure. *Pro Lic.* Resp. *Celeberr. Dn. Otto Philipp. Zaunschliffer.* Hanovienf. 1678.
30. De Jure offerendi. Resp. *Hieron. Alers.* Brem. Sax. 1678.
31. De Antichresi. Resp. *Job. Steinecken.* Brem. Sax. 1678.
32. De Judicio morum. Resp. *Albert. Caspar. Geier.* Ratisb. 1679.
33. De Remedio L. 2. C. de rescind. vend. *Pro Lic.* Resp. *Frider. Barthol. Wernigs.* Bipont. 1679.
33. De eo, quod interest, Resp. *Petr. Schumacher.* Brem. 1679.
34. De Pretio affectionis & amœnitatis. Resp. *Frans. Casimir. Heucklin,* Sonthem. Limp. 1680.

Scripta

35. De Præscriptione immemoriali. *Pro Lic.* Resp. *Job. Philipp.*
à *Leuneshloff.* Heidelb. Palat. 1680.
36. De Repræsentativa Legatorum qualitate. Resp. *Job. Josua*
Rader. Lindav. 1680.
37. De Præcedentia. *Pro Lic.* Resp. *Johan. Frid. Jaysius.* Durla-
co-Badenf. 1681.
38. De Censu emigrationis von der Nachsteuer. &c. *Pro Lic.* Resp.
Illust. Dn. *Just. Herm. Vultejus.* Caff. Haff. 1681.
39. De Emphyteusi. *Pro Lic.* Resp. *Johan. Georg. Garssen.* Bruns-
vic. 1681.
40. De Silentio. Resp. *Johan. Kentzler.* Hamburg. 1682.
41. De Tabellariis von Boten. *Pro Lic.* Resp. *Jacob. Ernest. Tho-*
mann. Augustan. 1682.
42. De Legitima, ejusque necessaria præstatione. *Pro Lic.* Resp.
Johan. Jacob. Friedt. Alfata-Colmar. 1682.
43. De Bodemeria, quam ventilavit Aureliæ *Pro Lic.* Resp. *Job.*
Kentzler. Hamburg. 1683.
44. De Judice in propria causa, Resp. *Job. Valer. Jaschky.* Rhe-
nanus. 1683.
45. De Bonis vacantibus, vulgo von erblosen Gütern. *Pro Lic.*
Resp. *Philipp. Reinhard. Frützweiler.* Neostad. Palat. 1683.
46. De Clarigatione, *Pro Lic.* Basileæ defensa ab *H. Smit.* Brem.
Sax. 1684.
47. De successioneibus ab intestato & hæreditatis divisione, *ad tit.*
2. lib. 2. Jur. Lubec. Pro Lic. Resp. *Johann. Köhn.* Lubec. 1684.
48. De instrumentis mutui, præcipuis clausulis instructis, von
wohl clausulirten Leih- oder Gült- und Zins Verschreibungen.
Pro Lic. Resp. *Sebast. Mich. Otto.* Ulmenf. 1684.
49. De Fundata in territorio & plurium locorum concurrente
potestate. Resp. *Lubert. Erewin Iconius.* Wevelinghova Co-
lon. 1684.
50. De jure victoriæ diverso á jure belli. Resp. *Job. Webling.*
Gretha Fris. Orient. 1685.
51. De Feudis Fuldensibus. Resp. Perill. Dn. *Frid. Philipp. L. B.*
à *Geuder zu Heroldsberg.* Equ. Franc. 1685.

52. De

52. De Mora. *Pro Lic.* Resp. *Georg. Andr. Weyffel.* Hanovienf. 1685.
53. De Jure tertii. Resp. *Frid. Sybaus Müller.* Suevo-Halenf. 1685.
54. De Commiffis, ubi de mercibus contrabando, vulgo Contrabande Waaren. *Pro Lic.* Resp. *Lubert. Erewin, Iconius de Folckers.* Colon. 1686.
55. Justitia Belli & Pacis in Statu Regni Portugallici fundata, five Historia Portugalliæ. Resp. *Burchard. Neukirch.* Westphal. Paderborn. 1687.
56. De Jure Detractus, vom Abzug-Recht/ Nachsteuer/ zehenden Pfening. Resp. *Franc. Christ. Schattenmann.* Landav. 1687.
57. De Revisoriis Judiciis, cum in genere, tum in specie Statuum Imperii. *Pro Lic.* Resp. *Joh. Georg. Gebhard.* Alsted. Hass. 1687.
58. De Concurfu plurium jurisdictionum in eodem loco. Resp. *Carol. Gottfried Düvel.* Westph. Frysoit.
59. De Conjugio inæquali personarum illustrium. *Pro Lic.* Resp. *Frid. Lang.* Norimb. 1687.
60. De differentiis Falcidiæ & Trebellianicæ. *Pro Lic.* Resp. *Joh. Just. Moors.* Mæno-Francof. 1688.
61. De Jure alluvionum in Imperio. *Pro Lic.* Resp. *Carol. Gottfried Düvel.* Westphal. Frysoit. 1688.

* * * *
* * *

DISSERTATIONES à B. COCCEJO HEIDELBERGÆ ELABORATÆ, AT SUB ALIORUM PRÆSIDIO ALIBI VENTILATÆ.

62. De Momentaria possessione & lite vindiciarum, sub præsidio *D. Adriani Beckerts à Thienen.* in Academia Lugduno-Batava Anno 1669. habita.

63. De

Scripta

63. De Jurisdictione Ecclesiastica, sub præsidio *Job. Wolffgangi Textoris. Pro Lic. à Dan. Martini* Heidelb. 1677. propugnata.
64. Armatus Princeps, seu jus sequelæ, sub præsidio *Job. Wolffg. Textoris Pro Lic.* ab *Hermanno Zobel* Brem. Sax. 1678. defensum.
65. De successione anomola, quam Præf. *D. Textore Pro Lic.* ventilavit. Resp. *Job. Engelbert Knode*, Trarbaco-Mosell. 1679.
66. De Regali viarum publicarum jure, ubi breviter de vectigalibus, conductu, scopelismo, obsessionibus viarum, rebus meræ facultatis. &c. sub præsidio *Christ. Ernest. Reichenbachii Pro Lic.* à Resp. *Hieron. Alers* Brem. Sax. 1679. habita.
67. De Evocatione Sacrorum, Præsidi *D. Reichenbachio Pro Lic.* à *Job. Regner. Hirschfeld.* 1679. proposita.
68. De Valore monetæ, sub Præsidi *D. Textoris* disputavit *Job. Philipp.* à *Leuneshloff.* Heidelb. Palat. 1680.
69. De Legato inviolabili, Præsidi *Philippo Mattheo*, Franquerae 1684. habita à *Conr. à Berchem*, Bremens.
70. De Origine Dominiorum, quam Præsidi *D. Textore Pro Lic.* 1684. defendit. Resp. *Job. Barthol. Herold.* Wormat.
71. De pœna non confecti ab hærede inventarii, Præsidi *Job. de Spina Pro Lic.* disputavit *Daniel Ernest. de Derenthal.* Mindens. 1685.
72. De obligatione successorum ex facto Antecessorum, sub præsidio *D. de Spina* 1685. propugnata *Pro Lic.* à *Job. Josua Rader* Lindav.
73. De Opistographo, quam sub præsidio *D. Textoris* ventilavit Resp. *Barthold. Willers.* Hamburg. 1686.
74. De Jure sequestrationis, sub præsidio *D. Textoris. Pro Lic.* 1686. propugnata à *Job. Tobia Rieff.* Schmalcaldia-Haff.
75. De successione Regum & Principum, familiarumque illustrium, Præsidi *D. Textore*, defensa ab *Ill. Dn. Burchardo-Neukirch.* Paderborn. 1687.

DISPUTATIONES BATAVO- TRAJECTINÆ.

76. *Oratio inaug.* qua expenditur quæstio: Utrum armis magis, an magis Legibus, vel Respublica in genere defendi possit, vel in specie Romana defensa fuerit? *publice habita anno 1689.*
77. De Jure accrescendi inter verbis conjunctos. Resp. *Job. Engelb. van Gelder.* Geldrus 1689.
78. De Electione rei conventi ex enormi læsione. Resp. *Johann Engelb. van Gelder.* Borculoa-Geldrus. 1689.
79. De immutabilitate Juris Naturæ. *Pro Lic.* Resp. *Justus Maurit. Wallendorph.* Embda-Fris. 1690.
80. De Successione Apanagii. *Pro Lic.* Resp. *Job. Henr. Hessigius* Hanovienf. 1690.
81. De Privilegiis patris. *Pro Lic.* Resp. *Wilhelm. Hüpeden.* Bremenf. Sax. 1690.

* * * *

DISSERTATIONES FRANCO- FURTANÆ.

82. De Fallacibus criminum indiciis. Resp. *Generos. Dn. Stephan. Nicol. de Kleist.* Equ. Pomeran. 1691.
83. De Suggestionibus earumque jure. *Pro Lic.* Resp. *Johann Joach. Bussé.* Megapol. 1691.
84. De Obligatione hæredis ex delictis defuncti. Resp. *Arnold à Düngekn.* Vefal. Cliv. 1691.
85. De Postliminio in Pace & Amnestia, Resp. *Ill. Dn. Job. Frieder. ab Hörnigk.* Hala-Saxo. 1691.

86. De

Scripta

86. De Clausulis Testamentorum, *Pro Lic.* Resp. *Georg. Conrad. Schöpffer.* Quedlinb. Sax. 1691.
87. De Usu & differentia hodierna pactorum & stipulationum. Resp. *Casp. Grohmann.* Sebnicens. Misn. 1692.
88. De Adoha, Heer-Steuer/ Reisegeld/ Fahrtlösung. Resp. *Philipp. Ernest. de Becker.* Minda Westphal. 1692.
89. De Diversitate rescindentis & rescissorii iudicii, ejusque effectibus. Resp. *Werner. Justin. Pagenstecher.* Duisburgo-Clivens. 1692.
90. De Jure Seminis. Resp. *Celeberr. Dn. Joh. Petr. Thiele.* Francof. March. 1693.
91. De Tutelis illustrium. Resp. *Illustriss. Dom. Marquard. Ludov. L. B. à Printzen.* Equ. Westph. 1693.
92. De Eo, quod justum est circa rusticos in materia feudali. *Pro Lic.* Resp. *Frider. Mich. Falckner.* Lips. 1693.
93. De Anatocismo. *Pro Lic.* Resp. *Illust. Dn. Johann Rickers.* Rhesa-Cliv. 1693.
94. De Assuracatione, vulgo Assurantz. *Pro Lic.* Resp. *Henr. ab Aschen.* Brem. Sax. 1693.
95. De His, quæ præpostere fiunt. Resp. *Pro Lic. Celeberr. Dn. Joh. Petr. Thiele.* 1693.
96. De Simulatione. *Pro Lic.* Resp. *Henr. Anton. Iunge.* Hamburg. 1693.
97. De Excessu pœnarum ordinariorum. *Pro Lic.* Resp. *Johan. Georg. à Ryffel.* Lipsiens. 1693.
98. *Oratio*, de Progressu Juris Europæi, ab ultima hominum feritate, usque ad eam, quæ unico ab orbe condito edita est, Jurisprudentiam. *Occasione promotionis Doctorum solemnis, anno 1693. habita.*
99. De Finibus bonæ fidei in præscriptionibus de jure Canon. Resp. *Joh. Christ. Laurentius Cöthen.* Anhalt. 1694.
100. De Lege Morganatica. Resp. *Levin. Christ. Vilibudt.* Berlin. March. 1695.
101. De Probatione Feudali. *Pro Lic.* Resp. *August. Bernhard Brunner.* Hal. Magd. 1696.

Henrici de Cocceji

102. De Curiositate legali proficua, occasione l. 3. §. 9. *vs. ff. de in rem vs.* Resp. *Pro Lic. Job. Ernest. de Lettou Equ. Pomer.* 1696.
103. De Successione Nepotum, *Pro Lic.* Resp. *Andr. Henr. à Mandelslob.* Brem. Sax. 1696.
104. De Jure ejus, quod facti est, modisque illius amittendi. Resp. Ill. Dn. *Job. Conrad. Rießelmann,* Francof. March. 1696.
105. De Jure Belli in amicos. Resp. Perill. Dn. *Philipp. Sylvester L. B. de Danckelmann.* 1697.
106. De Imperio in pares. Resp. Perill. Dn. *Wilhelm. Henr. L. B. à Danckelmann.* 1697.
107. De Remedio. L. 3. C. Commun. utr. Jud. Resp. *Georg. Henr. Krause,* Custrin. Neomarch. 1697.
108. De Proportione furti ac suspendii rupto laqueo. Resp. *Daniel Gottschalck.* Vratisl. Siles. 1697.
109. De Fœminarum sequestro. *Pro Lic.* Resp. *Conrad Buchius* Francof. March. 1698.
110. De Directa probatione Negativæ. *Pro Lic.* Resp. *Jobann Wallmann.* Brem. Sax. 1698.
111. De Potestate Statuum Imperii circa dignitates. *Pro Lic.* Resp. *Dan. Leonhard Müller.* Lips. 1698.
112. De Armis illicitis. Resp. *Job. Georg. de Birckholtz.* Eques Saxon. 1698.
113. De Judice jus ignorante, occasione l. f. ff. de Extraord. cognit. & pr. *J. de Obl. quæ quas. ex del. nasc.* Resp. *Christ. Wilhelm. de Wilsdorff.* Equ. Meso-March. 1699.
114. De Finibus bonæ fidei in præscriptionibus de Jure Canon. *diss. altera,* quæ superiorem à dubiis nonnullis vindicat. Resp. *Christ. Ludov. Stiglitz.* Lips. 1699.
115. De Notione & executione Austregarum. *Pro Lic.* Resp. *Johann Daniel Hacke.* Hanoviens. 1699.
116. De Clausula: Rebus sic stantibus, *Pro Lic.* Resp. *Henr. Meyer.* Brem. Sax. 1699.

117. De cautione correali, *Pro Lic.* Resp. *Johann. Christ. Scheffer.* Marpurg. Hass. 1699.
118. De Legato sancto non impuni. Resp. Perill. Dn. *Frid. Wilhelm. de Lüderitz.* Equ. March. 1699.
119. De Jure circa hæreticos. *Pro Lic.* Resp. *Carol. d' Orville.* Cassel. Hass. 1699.
120. De Titulorum & Commendarum convenientia. Resp. Illustriff. Dn. *Wilhelm. August. Comes de Lynar.* 1699.
121. De Immutabilitate Juris primogenituræ, quam Lipsiæ propugnavit *Pro Lic.* Resp. *Christ. Ludov. Stiglitz.* Lips. 1699.
122. De Jure circa actus imperfectos. *Pro Lic.* Resp. *Johann Hermann Meyer.* Onold. Franc. 1699.
123. De Testamentis Principum. *Pro Lic.* Resp. Perill. Dn. *Johann Gottfried de Cocceji.* Heidelb. Palat. 1699.
124. De Principio Juris Nat. unico, vero, & adæquato, *Pro Lic.* Resp. Perill. Dn. *Sam. de Cocceji.* Heidelb. 1699.
125. De Præscriptione extraordinaria, vel anomola ad l. 10. ff. si servit. vind. *Pro Lic.* Resp. *Johann von dem Busch.* Brema-Saxo. 1700.
126. De Lege 1. pr. §. 1. & 2. ad Leg. Cornel. de Sicar. & Veneficis. Resp. *Christoph. Engelbrecht.* Schiffenb. Pruff. 1700.
127. De Eo, quod justum est circa inquisitionem in autorem rixæ, si de occisore non constat. *Pro Lic.* Resp. Celeberr. Dn. *Christ. Erdmann. Neander.* Francof. March. 1701.
128. De Legato rei propriæ & alienæ. *Pro Lic.* Resp. *Victor. Johann Kothe.* Bernburgo-Anhalt, 1701.
129. De Vero rerum pretio, *Pro Lic.* Resp. *Dethard. Düsing.* Brem. Sax. 1701.
130. De Matrimonio momentario, *Pro Lic.* Resp. *Sam. Frider. Schultz.* Francof. March. 1701.

131. De Feudo hæreditario mixto. *Pro Lic.* Resp. Ce-
leberr. Dn. *Johann. Frieder. Jäger.* Müncheberg. March.
1701.
132. De Cumulatione possessorii & petitorii. *Pro Lic.* Resp. *Jo-*
bann. Anton. Lennich. Hammona-Marc. 1701.
133. De Socio Criminis. *Pro Lic.* Resp. *Johann. Dieter. à Brock.*
Lebusio-March. 1701.
134. De Guarantia Pacis. Resp. *Dan. de Stephani.* Equ. March.
1702.
135. De Officio & jure Mediatorum Pacis. Resp. *Frider. de Ste-*
phani. Equ. March. 1702.
136. De Assignationibus, vulgo von Anweisungen. *Pro Lic.* Resp.
Joach. Frid. ab Engelbrechten. Stralesund. 1703.
137. De Jure pœnitendi in contractibus, & quæ inde Jure Gent.
dantur conditionibus. Resp. Illust. Dn. *Johann. Philipp. de*
Kopff. Westph. 1704.
138. De Eo, quod justum est in dubio, ubi de genuina praxi ju-
ris. *Pro Lic.* Resp. Celeberr. Dn. *Caspar à Rheden.* Bremen-
sis. 1705.
139. De Eo, quod justum est circa numerum suffragiorum, ubi
de calculo Minervæ. *Pro Lic.* Resp. Franc. Meyer, Bremenf.
1705.
140. De Sacrosancto talionis jure. *Pro Lic.* Resp. *Petrus Dücker,*
Bremenf. 1705.
141. De Servitute rei propriæ. *Pro Lic.* Resp. *Johann Georg.*
Schmesky. Grosna-Siles. 1706.
142. De Fuga. *Pro Lic.* Resp. *Joh. Daniel, Löper.* Starg. Pomer.
1706.
143. *Oratio solennis, de Duobus Reipubl. fulcris, armorum &*
litterarum studio, in ipso festo seculari Alma Viadrine recitata.
1706. *vid. secularia Acad. Francof.*
144. De justo præliorum exitu. Resp. Perill. Dn. *Wilhelm. Fri-*
der. L. B. de Danckelmann. 1706.

145. De Abutu mandatorum sine clausula. *Pro Lic. Resp. Renner. Caspar. Henr. Homberg. Caff. Hass. 1706.*
146. De Lubrico ætatis. *Pro Lic. Resp. Johann. Cbrist. Grupp. Strehla-Siles. 1707.*
147. De Antidoris. *Pro Lic. Resp. Petrus à Mastricht. Duisb. Cliv. 1708.*
148. De Distinctione bonorum ad *Constit. Elect. Saxon. 14. Part. 3. Pro Lic. Resp. Jacob. Voss. Hamburg. 1708.*
149. De Vero debitore sententia absoluto. *Pro Lic. Resp. Henr. Daniel Trutenius. Polla-Brunsvic. 1708.*
150. De Actore ad agendum invito. *Resp. Johann. Georg. Simonis. Francof. March. 1709.*
151. De Characterè Statuum Imperii, der Reichs- Standschafft. *Resp. Frieder. Wilhelm. de Mülheimb. Equ. March. 1709.*
152. De Cessione eorum, quæ ad hæredes non transeunt, & contra. *Pro Lic. Resp. Johann. Friedrich. Zander. Stralsund. Pom. 1709.*
153. De Executoribus Testamentariis & Jure Patronatus. *Resp. Pro Lic. Joach. Henr. Lang. Colbatz. Pomer. 1709.*
154. De Præsumptione qualitatis feudalis Comitatum &c. *Pro Lic. Resp. Gerhard. Gothofred. ab Aschen. Bremens. 1709.*
155. De Evocatione Sacrorum ad l. 9. §. 2. ff. de *Rer. Div. Resp. Perill. Dn. Frider. L. B. à Danckelmann. 1711.*
156. De Justitia pœnæ in absentes, vel mortuos statuendæ, atque in effigie exequendæ. *Resp. Frid. Wilhelm. de Marwitz. Equ. March. 1711.*
157. De Cessione actionum post solutionem, occasione l. 39. ff. de *fidejuss. J. l. 28. Mand. Pro Lic. Trajectiad Rhenum habitata à Johann. Iken. Brem. Sax. 1711.*
158. De Dominio, seu Imperio Orbis ad l. 9. ff. de *Leg. Rhod. Resp. Perill. Dn. Franc. Anton. Nob. Dn. de Schallenheimb. Austr. Vienn. 1711.*

159. De Ordine succedendi fœminarum illustrium interterritoriis. *Pro Lic. Resp. Gabr. Holst. Pruss. 1712.*
160. De Voto captandæ mortis. *Resp. Johann. Frid. de Schönberg. Equ. Lufat. 1713.*
161. De Mandato ad hæredes transeunte, ad l. 57. ff. *mand. Pro Lic. Resp. Christoph. Leonhard. Förster. Oelsn. Siles. 1713.*
162. De Reductione ad arbitrium boni viri. *Pro Lic. Resp. Ernest. Frider. Camman. Loffov. Francof. 1713.*
163. De Renunciationibus & reservationibus filiarum illustrium. *Pro Lic. Resp. Joach. Frid. Bartholdi. Francof. March. 1714.*
164. De Jure nocendi aliis. *Pro Lic. Resp. Joach. Wilhelm. Löper. Stargard. Pom. 1715.*
165. Quæ sit genuina resolutio controversiæ circa causas exheredationis liberorum. *Resp. Philipp. Conr. Hugo. Hannover. 1717.*
166. De Liberis, qui partem & numerum faciunt. *Pro Lic. Resp. Gottfr. Weichhard. Ring. Francof. March. 1717.*
167. De Potestate justituli in ficto dominio, ad l. 45. ff. *de Usur. Pro Lic. Resp. Job. Christ. Wellmann. Magdeburg. 1717.*
168. De Fideicommissis familiæ è manu hæredum non capiendis. *Pro Lic. Resp. Johann. Diet. Schaukirch. Stettin. Pomer. 1718.*



MANUSCRIPTA.

I.

Prælectiones Academicæ sive Commentarii, ad Grotii Jus Belli & Pacis. Juris publici prudentiam, Hypomnema-

ma-

Scripta Henrici de Cocceji.

mata juris Civ. Romani & Feudalis. *Struvii* Jurisprudentiam forensem. *Lauterbachii* compendium Juris. *Desseli* Erotemata Juris Canon. *Strykii* praxin forensem, & *Brummemanni* formulam processus inquisitorii.

II.

Responsorum & Consiliorum in causis illustrium & privatorum Volumina tria, mox in publicum edenda.

III.

Volumen *Orationum* variarum materiarum in Palatinatu, Belgio & Marchia publice habitarum.

IV.

Annotationes ad *Cesarini Fürstnerii* tractatum de jure suprematus.

V.

De *Veritate Religionis Christianae*, sive de DEO & MESSIA dissertationes duæ.

VI.

Fragmenta operis desideratissimi de *Justitia Gentium*, de quo initia nuper prodire.

FINIS.


MANUSCRIPTA.

SPHALMATA TYPOGRAPHICA
 CUM PROPTER AUTORIS ABSENTIAM REVI-
 DERI NON POTUERINT, LECTOR HUMANISSI-
 MUS OB OMISSUM PAGINARUM NUMERUM
 ITA CORRIGET.

- P**ag. I. in dedicat. lin. 9 pro *Augustissimo* leg. Augustissimi.
- a. I. in præfat. lin. 15 pro *eorum voluntas* leg. cor voluntas. a. I. fac. b. lin. 22. pro *de esse* leg. deesse lin. 27. pro *editione* l. editioni. *ibid.* lin. ult. pro *MDCCLII* leg. MDCCXXII. a. 2. lin. 5 in epistola pro *J. C. I. Jctus*. lin. 6. pro *placitissima* l. præclarissima. a. 3. fac. b. lin. 34. pro *certo* l. certe. a. 4. lin. 19. pro *Francica* l. Francia.
- b. 3. lin. 9. pro *Oxonium* l. Oxonium. fac. b. lin. 6. pro *M. Britannia* l. M. Britannia. lin. 21. pro *studiis* l. stadiis. b. 4. lin. 8. pro *Oxonienſe* l. Oxoniensis. lin. 15. pro *referendum* l. referendum. fac. b. in margine *ad verba* de Proport. disputationem. *adde* defendit. lin. 29. *post verba* illud suum; *dele Semicolon.*
- c. I. lin. 7. pro *Aristoteles* l. Aristotelis. fac. b. lin. 18. pro *æquales* l. æquales. c. 2. lin. 14. pro *proportionale* l. proportionate. fac. b. lin. 32. pro *accuratissima* l. accuratissima. c. 4. lin. 5. pro *Lodovicum* l. Ludovicum. lin. 10. pro *Domanus* l. Damianus. fac. b. lin. 9. pro *biennio* l. triennio. lin. 15. *post voc. acutissimus* *adde* memorato tempore. lin. 25. pro *eamque* l. eumque.
- d. I. lin. 8. pro *offerrentur* l. offerrentur. in marg. pro *Elogium* l. Effatum Electoris. lin. 26. pro *Quæstiones* l. quæstiones. d. 2. fac. b. lin. 33. pro *cruciatibus* l. cruciatibus. d. 3. lin. 8. pro *expugnata* l. expugnato. fac. b. lin. 7. *dele scilicet*. *ad* lin. 25. *adde in marg.* Literæ Electorales. lin. 31. pro *Stedini* l. Steini. d. 4. lin. ult. pro *naciferis* leg. nanciferis. fac. b. lin. 22. pro *Illustrissimis* leg. Illustrissimis.
- e. I. lin. 15. pro *augmenta* l. argumenta. fac. b. lin. 9. pro *Quas satum* l. Quasatum. c. 3. lin. 38. pro *qui colere* l. qui coleres. lin. II. pro *oriteris* l. oriseris. fac. b. lin. 25. pro *exultam* l. exultam.
- f. 2. ad lin. 3. *in marg.* *adde* D. Rhodii carmen Heroicum. f. 3. fac. b. lin. II. pro *Iam Themis* l. Themis. f. 4. fac. b. lin. 28. pro *Cocceique* l. Coccejiq.
- g. I. lin. 20. pro *sua dicit* l. tua ducis. lin. 34. pro *Jussisse* l. Jussisse. g. 2. lin. 32. pro *Ter felix genitor* l. Ter felix genitor. fac. b. in marg. pro *de suscepta* l. de suscepta. g. 3. lin. 4. pro *proemium* l. præmium. fac. b. lin. 12. pro *Fridrico* l. Friderico.
- h. I. lin. 19. pro *Nering* l. Hering. h. 4. lin. 19. pro *nervosa* l. nervosa. lin. 35. pro *negotium* l. negotium. fac. b. lin. 15. pro *Philosophia* leg. Philosophia; *ibid.* *in margine* pro *Inventor* l. primus Inventor.

- i. l. lin. II. pro *societati* l. sociati. i. 2. lin. 30. *verba ita legenda*. Hæc tradita, ut prolixius deduceret, ideoque principia sua in certas &c. i. 3. fac. b. lin. 28. pro *Æ Batavis* l. & *Bavariis*. i. 4. lin. 10. pro *Saxonia*. l. Saxonia, fac. b. lin. 5. pro *fratrem*. l. fratrum lin. 23. post *voc. feudi* dele comma.
- k. l. lin. 2. *in nota*. pro *in Novembr.* fol. 524. l. Mens. Novembr. fol. 529. k. 2. fac. b. lin. 30. pro *adstringit*. l. adstringat. k. 4. fac. b. lin. 12. pro *quorum prima* l. quarum prima.
- l. l. fac. b. lin. 5. pro *Justitia*. l. Justitia, l. 2, lin. 25. pro *at erudito*. l. at erudite, fac. b. lin. 13. pro *Hassiacis*. l. Hassiaci, lin. 15. pro *restitut. integrum*. l. restitutionis in integrum, lin. 20. pro *confusio*. l. confusio. lin. 24. pro *querela*. l. querelæ lin. 27. pro *ex delicta*, l. ex edito. l. 3. lin. 26. pro *Cocceji* l. Cocceji. lin. 27. pro *Corollarium*. l. Corollarium. fac. b. lin. 14. pro *corollaria*. l. corollaria, ibid. pro L. 3. 6. lege L. 3. Cod. l. 4. lin. 30. pro *de usur.* l. § 8. de usur.
- m. l. lin. 18. pro *corollariis* l. corollarii, fac. b. lin. 13. pro *Wir Churfürsten*. l. *Wte Churfürsten*. m. 2. lin. 3. pro *resolvit* l. resolvit, fac. b. lin. 4. pro *itaque infert.* l. indeque ita infert. m. 3. lin. 23. post vocem *mortuo*. adde: Anno MDCXCV. ibid. in marg. pro No. 16. lege 15. m. 4. fac. b. lin. 18. pro *Tollnerus*. l. Tollnerus.
- n. 3. in marg. pro *Gebnero & Hechtio*. l. Gribnero & Hechtio, n. 4. lin. 9. pro *Sclavica* l. Slavica. lin. 10. pro *oportuit* l. oportuerit lin. 16. pro *conferretur* l. conferretur. lin. 18. pro *Electores omnes*. l. Electores omnes. lin. 24. pro *audiant*. l. audiant, fac. b. lin. 16. pro *commovent*. l. commemoret. lin. ult. pro *cap. Iur.* l. cap. IX. Jur.
- o. l. lin. 15. pro *capita* l. capita. fac. b. lin. 16. pro *Jam dum* l. Jam dudum. o. 2. lin. 23. pro *Hypomnematis* l. Hypomnematis. o. 3. lin. 23. pro *anomola*. l. anomala. lin. 32. pro *anomolam*. l. anomalam. fac. b. lin. 25. pro *illa in univ. sa.* l. ille in univ. sa. o. 4. lin. 20. pro *tanto ingenio*. l. tanto erat ingenio.
- p. l. lin. 21. pro *interreat*. l. intererat. p. 3. lin. 20. pro *per fecit*. l. perfecit. lin. 30. post verba *D. XXII. Aug.* adde, ejusd. anni. fac. b. lin. 8. pro *Quod, § 1. Quodff.*
- q. 2. No. 7. lin. 7. pro *eorum*. l. eorum. q. 3. lin. 23. pro *Mentzler*. l. Metzler. qu. 3. lin. 30. corrigatur error in numero 32. fac. b. lin. 7. pro *anomola*. l. anomala.
- r. 2. fac. b. lin. 18. pro *anomola*. l. anomala. r. 3. post num. 135. add. *disp.* Coccejana de Partu Regio incerto. *Pro &c.* Resp. Celeberr. Dn. *Henr. Simon Plekmann.* Lipp. Westph. 1703.

Errata leviora, vel omissionem aut mutilationem committatis, vel divisionem periodi commissa, æquitati ac humanitati *Lectoris* emendanda relinquimus.





Ka 408

ULB Halle

3


007 432 372




v. d. d.

B. L.







VITA,
VIRI PERILLUSTRIS, AC
FCTI SUMMI
HENRICI
DE COCCEJI.

In qua,
FATA ET MERITA EJUSDEM,
SUCCINCTE ENARRANTUR, POTIO-
RES CONTROVERSIAE, ORDINE
RECENSENTUR,

Ac
SINGULA, QUÆ EXTANT SCRIPTA,
EXACTE ENUMERANTUR.
EDITIO ALTERA, REVISA ET AUCTA.

LEMGOVIÆ,
Typis & Impensis HENR. WILH. MEYERI, Aul. Lipp. Typogr.
Anno MDCCXXII.